

DISPUTATIO XXXIX.

De Sacrilegio & Simoniâ.

INter vitia , quæ religioni per defectum opponuntur amplissimam habent materiam Sacrilegium & Simonia , omne enim quod ad cultum Dei deputatum est , potest in se irreverenter tractari , & ita est materia Sacrilegii , vel potest erga temporale commutari & ita circa illud committitur Simonia , dicuntur autem hæc , sicut & alia irreligiositatis vitia , religioni opponi per defectum , quia is , qui talia vitia committit , minus facit , quam reverentia Deo debita in rebus ad suum cultum specialiter deputatis fieri exigit.

Q U Æ S T I O I.

Quid & quotuplex est sacrilegium ?

NON accipitur hic sacrilegium in latissima acceptione prout significat quodcunque peccatum Religioni oppositum , neque in strictiore significatione , quæ correspondet etymologiæ nominis secundum quam sacrilegium est rei sacræ legium , id est furtum , sed in media & propria acceptione prout significat violationem rei sacræ , id est : lege divinâ vel Ecclesiasticâ in cultum Dei destinatæ.

DICO I. *In sacrilegio invenitur specialis ratio deformitatis , quâ violatur res sacra per aliquam irreverentiam : & ideo est speciale peccatum , & opponitur Religioni S. Th hic Q. 99. A. 2. O.*

Prima Pars probatur: omni rei specialiter ad cultum Dei destinatæ quæcunque tandem sit , sive persona sive quælibet alia res ut contra personam distincta , hoc ipso , quod dicat specialem moralem relationem & ordinem ad Deum , propter Deum debetur reverentia : specialis enim honestas est in eo , quod Deum colamus

DE SA
 bus & vener
 tis ; arqui hui
 est rei sacræ vic
 & injuriam ;
 tatis ; pote
 buslibet Pecca
 riligii mater
 uod sacrilegi
 pertinet ad
 it speciale,
 et irreveren
 ta ; sicut in
 combustione
 erò sacrilegii
 actus sit illi
 iuste alibi
 necitus in loc
 verat,
 Secunda Pa
 contra rever
 rum principie
 ura dicta sacri
 quam rerum ori
 atam Deo ut
 solum respectum
 sacrilegium
 genere quidem
 minoris malitie
 versatur circa D
 mediatè circa i
 am eontra a
 oratio Dei,
 ur Deo irrev
 genere suo mo
 tura nempe

larius & veneremur etiam in rebus ipsius cultu destinatis; atqui huic reverentiæ opponitur sacrilegium, quod est rei sacræ violatio, redundans in Dei irreverentiam & injuriam; ergo in sacrilegio est specialis ratio deformitatis; potest autem hæc deformitas inveniri in quibuslibet Peccatorum speciebus, quæ possunt esse sacrilegii materia, attamen propterea non sequitur, quod sacrilegium sit peccatum generale: quia materiale pertinet ad alias Peccatorum species, formale verò est speciale, quod ad sacrilegii malitiam spectat videlicet irreverentia Deo in rebus ipsius cultui dedicatis illata; sicut in furto rei sacræ, homicidio sacerdotis, combustione Ecclesiæ materiale est injustitia, formale verò sacrilegii est irreverentia, quæ sæpe sola est ratio, cur actus sit illicitus v.g. apprehensio rei in loco sacro, qui justè alibi apprehendi poterat, actus conjugalis exercitus in loco sacro, qui sine peccato alibi exerceri poterat.

Secunda Pars probatur: Omne peccatum, quod est contra reverentiam Deo tanquam primo omnium rerum principio debitam opponitur Religioni; atqui juxta dicta sacrilegium est contra reverentiam Deo tanquam rerum omnium principio debitam: quia non tantum Deo ut est in se, sed etiam in rebus specialem ad ipsum respectum dicentibus reverentiam debemus: ergo sacrilegium est peccatum Religioni oppositum ex genere quidem suo mortale, attamen per se loquendo minoris malitiæ quam sint alia vitia Religioni, prout versatur circa Deum ipsum, opposita: quia versatur immediatè circa irreverentiam rebus Deo dicatis illatam; cum econtra alia vitia Religioni opposita: ut perjurium, tentatio Dei, superstitio, blasphemia immediatè inferant Deo irreverentiam, est nihilominus peccatum ex genere suo mortale: tum quia excellenti virtuti opponitur nempe Religioni; tum quia gravem materiam habet,

CIX.

o oppo-
sitionem
sacrilegii
deputatum
ita est ma-
teriale
commutari
dicuntur
religioni
ita commu-
nibus in re-
solvitur.

m?

ima accep-
tarum Re-
nificatione,
dum quam
n, sed in
violatio-
religiosa in

lis ratio de-
viam irreve-
& opponitur

valiter ad cul-
torem, sive persona
distincta, hoc
ationem & oc-
cur reveren-
tiam Deum co-
lamus

habet, potest tamen esse veniale non tantum ob defectum deliberationis & advertentiæ, sed etiam ob parvitatem materiæ, quæ non notabilem includit Dei irreverentiam, ut si leviter Clericum percutias, levem rem è loco sacro fureris, leviter rem voto promissam violes. nisi ipsa materia semper formaliter gravem importet oppositionem ad virtutem Religionis propter specialem rationem, sub qua assumitur v.g. in usurpatione Jurisdictionis vi cuius imponitur Clerico tributum, vel Clericus iudicatur aut ad iudicium trahitur, nunquam potest esse levis materia, tametsi minimum tributum sit, & minimum tempus, in quo à Iudice sæculari detinetur: quia non tam attenditur ibi quantitas tributi, aut temporis, pro quo iurisdictio usurpatur, quam usurpatione ipsa Jurisdictionis, quæ per se res gravis est.

Obj. Sacrilegium non opponitur Religioni: quia illa virtus, quâ personas colimus, non est virtus Religionis, sed observantiæ vel Duliæ; ergo nec vitium quo personas Deo sacras inhonoramus, est oppositum Religioni sed potiùs Duliæ, sicut peccatum irreverentiæ commissum contra Parentes pietati opponitur: quia ex pietate tenemur Parentes venerari; ergo.

Res. Distinguendo probat, ass. Virtus, quâ Personas secundum excellentiam propriam colimus, non est virtus Religionis, Con. Secundum quod dicunt specialem respectum ad excellentiam Dei N. Dupliciter possumus personas sacras venerari, imprimis quatenus in se habent aliquam excellentiam absolutam veneratione dignam. Deinde quatenus in cultum Dei specialiter destinantur & illius ministri sunt. Si primo modo has personas veneremur, non ex Religione, sed ex observantia aut duliâ veneramur, & irreverentia illis facta non est contra Religionem, sed opponitur virtuti observantiæ vel duliæ, sed si quatenus sunt ministri Dei

&

& in divinum cultum destinati, illas veneremur, actum Religionis facimus: quia non tam eos, quam Deum in ipsis veneramus, & si secundum hanc rationem illæ offendantur, sacrilegium committitur, quod est Religioni oppositum, quocirca cum Ecclesia prohibuerit in has Personas violentas manus inferri & ad Judicia secularia trahi, ibique conveniri, quia Dei ministri sunt & cultui divino deputati, si in his actionibus offendantur, sacrilegium committitur: quia offenditur Deus in rebus sibi specialiter dicatis.

DICO 2. *Secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est, quod sacrilegii species distinguantur* S. Th. hic Q. 99. A. 3 O.

Probatur: quodlibet peccatum distinguitur secundum diversam rationem objecti; atqui objectum sacrilegii est sanctitas rei prout ei irreverentia infertur; ergo secundum diversam rationem sanctitatis rerum distinguitur sacrilegium, ut tot sint genera sacrilegiorum, quot sunt genera rerum sacrarum; sunt autem tria genera rerum sacrarum, quæ singula in suas species subdividuntur, consequenter sunt tria genera sacrilegii. Primum est contra Personas sacras id est Ecclesiasticas, quæ vel ordine vel Religionis statu specialiter in Dei cultum destinantur. Secundum est contra locum sacrum per violationem immunitatis, quam habet talis locus, quatenus talis est, de quo sacrilegio ejusque speciebus 1.2. Disp. XIX. de immunitate actum est. Tertium est contra res sacras.

Ut autem sciatur an sit sacrilegium illa actio, quæ fit aliquid contra personam, locum vel rem sacram, considerari debet, an sit contra illud, ad quod persona locus vel res sanctificata dicitur v.g. ager Ecclesiæ sanctificatus est, ut habeat immunitatem à secularibus oneribus, non verò, ut ibi nul-

lus.

lus fornicetur vel ut sit immunis à libidine; Locus sacer sanctificatus est, ut à sanguinis & seminis humani effusione immunis sit, non autem ad exemptionem à mendacio vel detractioe; eodem modo persona sacra sanctificata est, ut pura sit ab omni immunditia venerea atque in corpore ab omni injuria libera sit, hinc sacrilegium est, si fornicetur, non verò si inebrietur, si militer alius sacrilegus est, si eandem percutiat, non verò si eidem irascatur, aut occultè è domo ejus quidpiam surripiat, ex quâ Regulâ dignoscendæ singulæ sacrilegii species, quas tria hæc genera sub se continent.

Primum genus complectitur violentam in personam sacram inanuam injectionem: quia Ecclesia specialiter eandem sanctificavit tribuendo omnem à corporali injuria liberationem & exemptionem. Usurpationem Jurisdictionis, quâ potestas sæcularis easdem personas sacras trahit ad suum tribunal, aut eisdem tributa aliæque onera imponit. Actionem veneream, quæ specialiter sanctitati personæ repugnat. Alia vero nocumenta vel famæ & honori vel bonis temporalibus personæ sacre illata ex dictis ad sacrilegium personale non pertinent.

Secundum genus comprehendit quamlibet injuriosam actionem specialiter sanctitati loci repugnantem: qualis est effractio aut combustio Ecclesiæ, eversio sacri Altaris, injuriosa sanguinis aut voluntaria seminis humani effusio, sepultura ejus, qui prohibetur in Ecclesia sepeliri, violenta extractio confugientium ad Ecclesiam, furtum rei loco sacro concreditæ de quo Canon quisquis 21. Caus. XVII. Q. 4. *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

Tertium genus sacrilegii, quod per Antonomasiam vocari solet sacrilegium sive rei sacre violatio, multiplex est, pro varietate rerum sacrarum, quæ violari possunt

juxta

juxta quam S. Th. hic A. 3. illud subdividit in quinque species, sicut quinque sunt species rerum sacratum, quæ injuriosè tractari possunt & sunt sequentes 1. Sacramenta. 2. Vasa sacra. 3. Imagines & Sanctorum Reliquiæ, quibus addi potest Scriptura sacra & Cæremoniæ in cultum Dei destinatæ. 4. Ornamenta Ecclesiæ & vestes sacræ ministrorum 5. Bona Ecclesiastica in sustentationem ministrorum deputata: quia in his omnibus Deus colitur. *Quicumque contra quodcunque prædictorum peccat crimen sacrilegii incurrit* ut concludit S. Th. l. cit.

Primò quidem supremum locum tenent Sacramenta; quia nulla res est illis sanctior, ita ut irreverentia Sacramentis illata sit sacrilegium cæteris gravius, gravissimum verò sacrilegium est, si dignissimum præ reliquis Sacramentum Eucharistiæ indignè tractetur.

Non obest 1. Quod Christus Dominus persona dignissima sit in Eucharistia præsens, ut propterea si sit sacrilegium indigna Eucharistiæ tractatio ad primum & non ad tertium genus pertineat.

Contra est: quod liceat Eucharistia Christum hominem & Deum contineat, qui cultu Patriæ adorandus est, quia tamen non est persona formaliter, sed signum gratiæ sanctificantis Deum ipsum continens, injuria ipsi facta non fit personæ formaliter, sed rei Deo sacræ; deinde Christus Dominus in Eucharistia exiens non se exhibet visibilem & tractabilem, sed per modum cibi & potûs adinstar alicujus rei inanimatæ, licet ibi sit vivens & intelligens.

Nec obest 2. Quod ipsum Eucharistiæ Sacramentum adoretur cultu Patriæ, qui soli Deo exhibetur, ergo etiam irreverentia ipsi exhibita Deo ipsi formaliter exhibetur, nec proindè est Sacrilegium.

Contra enim est: quod etiam Crux & imago Salvatoris

toris cultu Patriæ colantur, & tamen irreverentia illis opposita est Sacrilegium.

Secundò sunt vasa sacra sive ad administrationem Sacramentorum consecrata, ad quæ pertinent corporalia &c. quæ quia cultui divino deserviunt, hinc eorum profanatio cedit in injuriam ipsius Dei. Sacrilegus proinde est, qui calice consecrato utitur ad potandum ad imitationem impij Baltassaris Dan. 5. corporali ad emungendos nares.

Tertiò sunt imagines & Reliquiæ Sanctorum, in quantum sunt amicorum vel familiarium Dei, unde irreverentia ipsis illata redundat in Deum ipsum, si quis easdem dissipet, frangat, conspurcet, aut aliàs indignè tractet. ad hanc speciem etiam reduci possunt quælibet verba sacræ tum quia sunt quasi quædam Dei Reliquiæ ab ipso dictatæ: tum quia ipsum Deum loquentem quasi imagines repræsentant, tum quia per ipsa nos Deus sanctificat juxtà illud Joan. 15. v. 3. *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis:* quocirca illorum profanatio & abusus seu corruptela sacrilegium grave est & sæpè cum aliis criminibus conjunctum.

Quartò sunt ornamenta Ecclesiæ & ministrorum scil. quæ specialiter sunt per consecrationem seu benedictionem divino cultui destinata, per hæc enim Deus colitur; ergo illorum profanatio Sacrilegium est, quare sacrilegus est, qui vestes sacras irreverenter scindit, comburit seu ad usus profanos applicat aut alio modo irreligiosè tractat, idem est de destructione irreligiosâ templi illiusque profanatione. *Dixi:* per consecrationem vel benedictionem destinata divino cultui: quia reliqua, quæ ad ornatum pertinent & vasa in quibus ponitur vinum & aqua inter res sacras computanda non sunt, sed pertinent ad sequentem speciem.

Quintò sunt bona Ecclesiastica: quia hæc aliquo modo sacrata sunt & in cultum Dei ordinata, quate-

mus destinantur sustentationi illorum , qui Dei cultui deserviunt , & quia deserviunt , ea de causâ nullo modo alienari possunt absque solemnitate à Jure præscriptâ. De quo alibi.

Q. 1. An detentio Legatorum piorum & decimarum sit Sacrilegium ?

R. 1. Si legata non sint tradita Ecclesiæ , tametsi sit injustitia ea retinere , non videtur esse Sacrilegium , neque alia species peccati : quia nondum sunt facta bona Ecclesiæ , quorum alienatio specialiter est prohibita.

2. In retentione decimarum non solum committitur injustitia sed etiam irreligiositas aliquo modo deterior Sacrilegio : quia non tantum retinetur quod alienum est , sed etiam id , cujus solutio est cultus formalis Dei , quia solutio decimarum fit in recognitionem supremi domini.

Q. 2. An etiam tempus sacrum inducat malitiam Sacrilegii ?

R. Negativè : quia licet aliqua Præcepta sint , ut diebus Dominicis & Festivis ac ita in certo tempore fiant , per illa tamen tempus specialiter non sacratur ; non enim auditio sacri aut servilium operum abstinentia præcepta est in venerationem temporis , sicuti mandatur in venerationem templi abstinentia in illo à forensi Judicio , mercatura ; sed directè mandatur auditio missæ & abstinentia ab operibus servilibus in cultum Dei , tempus autem ex tali mandato nullam specialem sanctitatem acquirit , sicut non acquirit tempus , in quo alicui mandatur , ut det eleemosynam vel aliud pium opus exerceat , unde sequitur imprimis : quod ommissio missæ in die festo & labor servilis non sit propriè sacrilegium ; quia non est violatio alicujus rei sacræ , sed est peccatum alicujus irreligiositatis contra Deum ; quo non agitur vel non omittitur illud quod ad colendum Deum agi vel omitti debet , deinde quod

peccata in die festo commissa non habeant speciem Sacrilégii : quia non sunt intuitu Religionis specialiter prohibita, sed tantum prohibita sunt ex motivo alterius virtutis v.g. Justitiæ, Castitatis &c.

DICO 3. Oportuit supra pœnam excommunicationis adhiberi aliquam temporalem pœnam ad coercendum homines, qui spiritualia contemnunt. S. Th hic Q. 99. A. 2. ad 2.

Probat hanc Conclusionem Angelicus Doctor in O. hoc discursu : In pœnis infligendis duo sunt consideranda, primò quidem equalitas ad hoc, quod pœna sit justa, ut scilicet in quo quis peccat, per hoc torqueatur, ut dicitur Sapien. 11. Et hoc modo conveniens pœna sacrilegi, qui sacris injuriam infert, est excommunicatio, per quam à sacris arcetur. Secundo consideratur utilitas : nam pœna quasi medicina quadam infliguntur, ut his territi homines à peccato desistant. Sacrilegus autem, qui sacra non reveretur, non sufficienter videtur à peccando arceri per hoc, quod sacra ei interdiciantur, de quibus non curat, Et ideo secundum leges humanas adhibetur capitis pœna. Secundum verò Ecclesiæ statuta, qua mortem corporalem non infligit, adhibetur pœna pecuniaria, ut saltem pœnis temporalibus homines à sacrilegiis revocentur. Ex quo discursu liquet, quod justè infligatur Sacrilegis excommunicatio : quia sacra contemnentes à sacris arcendi sunt, & ab Ecclesia pecuniaria, à potestate civili mortis pœna, ut alii territi à peccato sacrilegii abstineant, si enim Deus non tantum in futuro sed etiam frequenter in præsentis sæculo sacrilegos puniat, ut patet exemplo Baltassaris qui Dan. 5. eâdem nocte quâ profanavit vasa templi, interfectus est. Antiochi infelici morte defuncti Lib. 1. Mach. 6. & Lib. 2. cap. 5. & 9. Heliodori cœlitus flagellati 2 Mach. 3. Optimo jure tum Ecclesia tum sæcularis potestas in sacrilegos armatur.

Ex

DE
Ex Jure E
licis punien
ex variis Can
li quis concu
presbyteri 2
ur ipsis mul
causibus incu
nis ob sacri
sacrarum ci
nicatio cap.
tit. 39. Qu
rerum sacra
damnificatio
ens est, qu
as. Item si
vius dissipav
comprehendi
no violentam
excommu
Causa XVII. C
delictice vio
exactione,
e Cœnæ inci
ta aut alia pœ
Jure civili t
L. 5. & 54 C
tantibus jung
ro. ibidem.
injuriôsè inv
pœna etiam
potest juxta
lib. 48. tit
debetur Pro
conditione Es
vel clementia

DE SACRILEGIO & SIMONIA, 501

Ex Jure Ecclesiastico non tantum per sententiam Judicis puniendi sunt Sacrilegi pœna excommunicationis ex variis Canonibus *Caus. XVII. Q. 4. & ibidem Can. si quis contumax 20. Can. quisquis 21. Can. omnes presbyteri 26. Can. qui subdiaconum 27. decernitur ipsis multa pecuniaria; verum etiam in aliquibus casibus incurritur excommunicatio ipso facto. Imprimis ob sacrilegium commissum per spoliationem rerum sacrarum cum effractione templi incurritur excommunicatio cap. conquesti 22. de sent. excomm. Lib. 5. tit. 39. Quod etiam intelligendum est de combustione rerum sacrarum cum effractione templi: quia respectu damnificationis Ecclesiæ & illius spoliationis per accidens est, quod tecum res sacras auferas vel eas comburas. Item si quis templum ipsum destruxerit & bona illius dissipaverit, in supradicta excommunicatione comprehenditur. Deinde ratione Sacrilegii commissi ob violentam manum injectionem in Clericum incurritur excommunicatio reservata *Can. si quis suadente 29. Causa XVII. Q. 4.* Denique ratione immunitatis Ecclesiasticæ violatæ, præcipuè impositione tributorum & exactione, ob quam ipso jure excommunicatio Bullæ Cœnæ incurritur; extrâ hos casus nulla est Censura aut alia pœna sacrilegio ipso Jure annexa.*

Jure civili sacrilegium punitur pro qualitate delicti *L. 5. & 54 Cod. de Episc. & Cler. Lib. 1. tit. 3.* attentantibus jungendi matrimonii causa sacras virgines *L. 10. ibidem.* Ecclesias Sacerdotes aliosque ministros injuriosè invadentibus pœna mortis decernitur, quæ pœna etiam in aliis Sacrilegiis si gravitas exigat infligi potest juxtâ *L. sacrilegii 6. ff. ad L. Jul. Peculatûs &c. Lib. 48. tit. 13.* In quâ *Vlpianus: Sacrilegii pœnam debet Pro Consul pro qualitate persone, proque rei conditione & temporis & ætatis & sexûs vel severius vel clementius statuere & scio multos ad bestias dam-*

nasse sacrilegos: nonnullos etiam vivos exussisse, alios vero in furcâ suspendisse. Hoc crimen in sæcularibus est mixti fori, & datur locus præventioni inter Judicem Ecclesiasticum & Laicum.

QUÆSTIO II.

Quid est quotuplex Simonia?

Simonia refertur in numerum hæreseon ex denominatione sui Authoris scilicet Simonis Magi, qui præter hoc, quod Act. 8. voluerit ab Apostolis emere Spiritus sancti gratiam, hæreticè asseverabat mundum non esse à Deo creatum sed à quadam supernâ virtute, ut S. Th. hic Q. 100. A. 1. ad 2. indicat, interim licet possit Simonia, quatenus importat voluntatem vendendi vel emendi aliquod spirituale seu quippiam spirituali annexum, hæresis dici secundum exteriorem protestationem: quia in hoc quod aliquis vendat donum Spiritus sancti protestatur quodammodo se esse Dominum spiritualis doni, quod est hæreticum, protestatio tamen illa non est hæresis formaliter pugnans cum fide divinâ, sed est quædam irreligiositas pugnans cum fide quoad externam duntaxat protestationem.

DICO 1. *Si aliqua... exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi vel vendendi est manifestè Simonia* S. Th. hic Q. 100. A. 2. ad 4. Sive Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum pro pretio temporali.

Explicatur: communis simoniæ definitio, quam S. Th. hic A. 1. approbat & exponit. Dicitur 1. *Studiosa*, id est: deliberata 2. *voluntas*, id est vitium quod residet in voluntate, cum opponatur Religioni, quæ est virtus voluntatem perficiens 3. *emendi vel vendendi* ad indicandum quod in Simonia debeat intervenire pactum ali-

DE SA
aliquid one
spiritualis cu
aliquis per e
consequi be
simonia nisi
fac in actu f
que rem coi
Dices: i
temporalia
alem dona
temporalia
clerici qui ex
si commoda
tam illo,
biles judica
Hunc
per temp
debat obl
intentione
monata sperat
nitione facie
a pactum ex
dentalis. Dic
aliqua exponen
rum, quia
nent se in fa
pro pretio temp
alem adferen
ta ut hæc tria
eriale, & con
formale ad fe
ciente non
Ex quibus
conferens alic
ex benevo

aliquod onerosum tacitum vel expressum, quo res spiritualis cum temporali commutetur, undè licet aliquis per obsequia & munera temporalia intendat consequi beneficium seu donum spirituale, non est simonia nisi hoc deducatur in pactum, per quod fiat in actu saltem exercitio æstimationis inter utramque rem compensatio seu commensuratio.

Dices: in cap. tua nos 24. de sim. de eo, qui dedit temporalia, ut assequeretur canonicam dicitur: *si is, qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona, qua offert, spiritualia valeat adipisci & clerici qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam ille, quam isti apud districtum iudicem... culpabiles judicantur*; ergo non requiritur pactum.

¶ Hunc can. esse explicandum de intentione quâ per temporalia bona tanquam per pretium intendebat obligare alios ad danda spiritualia, non de intentione quâ per temporalia bona liberaliter donata sperabat se consequi bona spiritualia sine intentione faciendi commutationem, quæ si adsit, sed in pactum externum non deducitur, est simonia mentalis. Dicitur 4. *spirituale id est aliquo modo infra exponendo supernaturale. §. vel spirituali annexum*, quia spiritualia aut spiritualibus annexa habent se in simonia adinstar mercis. Dicitur 6. *pro pretio temporali*: quia in simonia aliquid temporalem adferens utilitatem habet se adinstar pretii, ità ut hæc tria spirituale & temporale tanquam materiale, & conventio sive pactum onerosum tanquam formale ad simoniam requirantur, uno ex his deficiente non est simonia juris divini.

Ex quibus sequitur 1. quod non sit simonia, si conferens aliquod spirituale recipiat temporale gratis, ex benevolentia, amicitia aut gratitudine sine

ulla intentione obligandi recipientem oblatum, ut enim dicitur in cap. dilectus 30. de simon. *illud gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum*; talis autem intentio præsumitur, si fiat oblatio gratuita muneris post receptam rem spirituales; aut si antecedit quidem, sed sit de re modica, quæ animum accipientis non possit facile movere ad effectum simoniacum juxta cap. etsi quæstionis 18. de simon. alias intentio & affectio simoniaca raro abest, & est plerumque saltem tacita promissio & pactum implicitum, si offeratur res consideratione digna titulo amicitiae vel benevolentiae illi, qui potest dare rem spirituales, ut rem illam spirituales conferat, ideo merito ab Innocent. XI. damnata est hæc propositio: *dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi & efficiendi spirituale, vel etiam temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali aut e contra.*

Sequitur 2. quod ministri Ecclesiae in Sacramentorum administratione, missis, aliisque officiis & functionibus spiritualibus titulo sustentationis & per modum stipendii licite temporalia recipere possint, ex declaratione Christi Luc. 10. *dignus est operarius mercede sua* & Matth. 10. *dignus est operarius cibo suo.* Ubi nomine mercedis non intelligitur aliquid correspondens & proportionatum operi spirituali, quod exhibetur, sed stipendium correspondens conditioni personæ operantis, quæ ob labores suos spirituales digna est stipendio & sustentatione sua; quantitas hujus stipendii sumenda est vel à consuetudine vel à taxatione superioris Ecclesiastici juxta cap. ad Apostolicam 42. de sim. abesse tamen debet omnem in se pactum, & rigorosa exactio speciem avaritiæ habens, nec ministri Ecclesiae denegare debent sua

sua servitia spiritualia, antequam pecunia numeretur, vel cautio de illa præstetur: quia per similia animus & affectus simoniacus exprimitur.

Sequitur 3. Quod absque labe simoniæ dari aut promitti aut legari possit aliqua res temporalis adjectâ conditione vel modo præstandi operis spiritualis cap. cum sit 2. cap. verum 4. de condit. appos. lib. 4 tit. 5. quia in hujusmodi casibus non intercedit pactum onerosum imponens obligationem absolutam, nec res temporalis, quæ intervenit, habet rationem pretii, sed solum donatur vel legatur sub conditione aut modo licito aut honesto.

Merx in simonia est duplex: spirituale & spirituali annexum: spirituale est illud omne, quod ad salutem spiritualem animæ pertinet, & vel provenit à Deo vel ordinatur ad Deum, ut est author gratiæ & salutis spiritualis, quod triplex est: aliud est spirituale per essentiam, ut gratia habitualis & actualis, dona Spiritus Sancti, virtutes infusæ, aliud est spirituale causaliter, ut Sacramenta & Sacramentalia, quæ causant gratias supernaturales; aliud denique est spirituale effectivè, ut actus ordinis, jurisdictionis spiritualis, qui ab aliquo spirituali procedunt. Spiritualis annexum etiam est triplex, vel est annexum antecedenter, quia antecedit aliquid spirituale: ut jus patronatus, quod antecedit consecutionem beneficii ecclesiastici, vel consequenter, quia sequitur ad aliquid spirituale, ut præbendæ & redditus temporales, quæ consequuntur ad jus persolvendi officium, vel concomitanter, ut labor corporalis, qui comitatur administrationem Sacramentorum, celebrationem missæ, prædicationem verbi divini. Omnes res connexæ cum spiritualibus vendi non possunt absque vitio simoniæ, si à spirituali separari non possint, aut si quidem separari

possent, attamen ut connexæ cum re spirituali quæ tali, ratione suæ connexionis vendantur: quia tunc ipsum spirituale venditur, ideo simoniacus est, qui prædium cui annexum est jus patronatus, calicem qui est benedictus ideo carius vendit, quia habet annexum spirituale. Ex quibus est facienda hæc quoad connexa distinctio: illa quæ per se primò antecederent sunt connexa cum re spirituali, vendi non possunt, & sunt materia simoniæ, ideo Jus patronatus, præsentatio ad beneficium & similia sunt invendibilia, si verò aliquid tantum per accidens & remotè sit connexum cum re spirituali, & tantum appetietur illud, quod est temporale, vendi potest sine simonia v. g. villa vel castrum cui est annexum Jus patronatus; similiter quæ rebus spiritualibus concomitanter, sed intrinsecè & per se sunt connexa, vendi non possunt, sic actio corporalis, quæ in dicendâ missâ, administratione Sacramentorum per se intervenit, pretio æstimari non debet; si tamen aliquod onus merè extrinsecè accedat, ut si quis longum iter agere debeat ad celebrandum, illud aliquo temporali recompensari potest. Vasa sacra sunt concomitanter & per se cum spirituali consecratione connexa, ideo sunt extrâ commercium humanum, ut ad usus profanos vendi non possint, nisi prius contracta propter necessitatem ut notat S. Th. hic A. 4. ad 2. attamen ad usum sacrum una Ecclesia alteri vasa sacra vendere potest tanti, quanti valet materia ex qua confecta sunt, & opera artificis, qui ea fecit: quia hæc sunt pretio æstimabilia. Denique quæ cum spiritualibus consequenter sunt connexa, durante connexione vendi non possunt: quia in talibus principale est spirituale, & temporale est accessorium à spirituali dependens, & spiritualitatem necessario participans, cum access-

sorium

De Sa
 rum sequat
 s decimand
 percipien
 illud præ
 essent 12
 beneficium Ec
 curia tom
 tione 26.
 us: quia
 bis 27. ibi
 ca, quia
 on obstat,
 abiles, præ
 ficio spiritus
 in titule
 , nisi hab
 reditus dur
 eculus spi
 m tempore
 porales à l
 est dubium
 Pretium in
 porale, q
 na juris di
 guntur ex il
 rum si in pe
 pecunia
 cumaration
 plex, Prim
 pecunia & q
 , sic re
 ejusdem
 minus à n
 pretio æ
 a motuat

forium sequatur suum principale, ideo beneficium, Jus decimandi &c. emi non possunt, etsi contineant Jus percipiendi aliquod temporale, quia temporale illud præcisè fundatur in spirituali, hinc in cap. cum essent 12. de sim. promittens Ecclesiam, id est beneficium Ecclesiasticum pro prosecutione negotiū in curia romana declaratur simoniacus cap. ex insinuatione 26. eod. tit. puer per simoniam dicitur promotus; quia pater dederat pro beneficio pecuniā cap. nobis 7. ibid electio ad plebaniam declaratur simoniacā, quia amici obtulerant electoribus pecuniam. *Non obstat*, quod redditus temporales sint pretio æstimabiles, pro quibus datur pretium, non verò pro officio spirituali; quia Jus ad illos redditus purè fundatur in titulo spirituali, nec alteri competere possunt, nisi habenti titulum spiritualem, undè, si Jus ad redditus durante connexionē vendatur, venditur ipse titulus spiritualis. Dixi; durante connexionē, si enim temporale à spirituali separetur, ut redditus temporales à beneficio, decimæ à titulo spirituali, non est dubium quin vendi possint.

Pretium in simonia est pecunia sive quodlibet temporale, quia illud, pro quo datur spirituale in simonia juris divini, debet esse quid temporale, ut colligitur ex illo actuum Apost. 8. v. 20. *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*, etiam illud quod datur in commutationem rei spiritualis vocatur munus & est triplex. Primum munus vocatur à manu, quod est pecunia & quælibet res temporalis æstimabilis vel utilis, sic remissio debiti, non repetitio solutionis vel ejusdem anticipatio & concessio mutui pertinet ad munus à manu, licet enim mutuum non sit peculiari pretio æstimabile: cum ejusdem valoris summa à mutuario mutuanti pro summâ mutuata restitatur

stituat, nihilominus quia collator rei spiritualis, eo quod accipiat pecuniam mutuam in sua necessitate, accipit aliquid temporale, ideoque dat pro tali commo temporali beneficium est simoniacus, qui vero dat pecuniam mutuam pro tali beneficio spirituali obtento vel obtinendo est simul simoniacus & usurarius. Simoniacus quia dat temporale ineundo contractum mutui (idem esset de alio contractu temporali, ut venditione, conductione, locatione, imo & contractu matrimoniali) pro obtinendo spirituali beneficio; est adhuc magis usurarius; quia à mutuuario ultra sortem vi mutui non exigit aliquid pretio temporali æstimabile, sed spirituale nullo pretio æstimabile, ad munus à manu etiam pertinet eleemolyna vel pecunia ad pias causas applicata cum hoc pacto expresso vel tacito, ut detur aliquid spirituale. Secundum munus vocatur à lingua & sunt laudes, preces, recommendationes apud aliquem in aliqua causa interpositæ, eo pacto ut beneficium aliaque res spiritualis intervenienti conferatur, hoc tamen non intelligendum est de precibus apud conferentem interpositis licet importunis aut ut vocant armatis, quia licet sint causa impulsiva, quâ movetur ad conferendum spirituale, non tamen habent rationem pretii, idem est de metu justè vel injustè incusso. Tertium munus dicitur ab obsequio, & sunt quælibet servitia aut obsequia alicui præstita vel præstanda sub conditione & obligatione rem spirituales conferendi; undè qui præstat obsequia temporalia propter spirituale obtinendum tanquam propter finem principalem est simoniacus, qui vero illa præstat primario ob mercedem, secundario tamen cum aliqua spe obtinendi beneficium tanquam finem minus principalem (nisi pervertatur intentio) non est simoniacus.

Ex

De S
 Ex dictis
 genere suo m
 d. excellen
 moniam in
 potius De
 onalem ad
 acus autem
 rrentia d
 ut & per c
 , confeg
 onnumere
 imus i. C
 noque hoc fa
 que & Sac
 pecunia pa
 collegio, qu
 inquantur
 v. g. co
 ne, nequ
 ul inhonor
 res sacra in
 ale permut
 met tract
 dentalem i
 tem specific
 est irreve
 more super
 zando.
 m opponit
 in contra
 od vendito
 Dominus
 Christo in
 gratis
 ticia Ecclē

Ex dictis Colliges: Quod Simonia sit peccatum ex genere suo mortale: quia opponitur religioni virtuti valde excellenti & inter morales præcipuæ: cum per Simoniam inferatur injuria & irreverentia rebus sacris vel potius Deo authori supernaturali, qui creaturam rationalem ad statum supernaturalem elevavit, Simoniacus autem media ad hunc superexcellentem statum pertinentia deprimit & veluti res temporales pretio æstimat & per contractus velut aurum cum luto commutat, consequenter opponitur religioni, licet autem connumeretur Simonia inter sacrilegia ut in can. *audivimus* 1. *Caus. I. q. 3.* in quo S. Greg. à *Sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id, quod sponte & Sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecunia pactione causatur:* Nihilominus differt à sacrilegio, quod per hoc inferatur rei sacre irreverentia in quantum fit aliquid ipsius usui in se contrarium, dum v. g. conculcatur, ad usum profanum adhibetur &c. neque inhonoratur per respectum ad alium simul inhonorantem; in *Simoniam* verò indignè tractatur res sacra in ordine ad contractum, quo erga temporale permutatur & per respectum ad alium simul irreverenter tractantem; hanc autem differentiam esse accidentalem in lineâ religionis inde eruitur, quod eodem specifico modo opponatur religioni, in quantum est irreverentia Deo illata indignè res ab ipso ut authore supernaturali ad animarum salutem ordinatas tractando. Cæterum ob circumstantiam Simonia etiam opponitur plerumque justitiæ: quia communitè in contractu Simoniano intervenit injustitia: eo quod venditor rei spiritualis aliquid vendat cujus non est Dominus: cum sit merus administrator & dispensator à Christo institutus *Matth. 10. v. 8. Gratis accepistis, gratis date,* & aliquid commutat, quod sine injuriâ Ecclesiæ tali modo commutari non potest; notabilis

tabilis etiam in genere moris inter sacrilegium & Simoniam differentia est, quod in peccato Simoniae non datur parvitas materiae; quantumcunque enim, res spiritualis quae emitur aut venditur materialiter spectata sit levis, attamen formalis ratio malitiae semper est gravis, eo quod rei spiritualis aestimatio compensetur cum pretio rei temporalis.

DICO 2. *Dicimus . . . ad resignationes spiritualium & temporalium, quae nullo pacto, sed affectu animi precedente utrimque taliter acquiruntur (in quo casu delinquentibus sufficit per solam poenitentiam suam satisfacere creatori) eos pro Simonia huiusmodi non teneri.* Greg. IX. in cap. fin. de sim.

Ex quo eruitur communis divisio Simoniae juris divini in mentalem conventionalem & realem. Dicitur juris divini: quia praeter Simoniam juris divini, quam hucusque descripsimus, assignatur alia Simonia, quae est juris Ecclesiastici, quae potissimum contingit in duobus casibus. Primo in commutatione rei spiritualis cum alia re spirituali contra prohibitionem Ecclesiasticam; hinc quia Ecclesia prohibuit, ne in beneficiis fierent permutationes absque autoritate superioris, permutantes sua beneficia committunt Simoniam juris Ecclesiastici. Secundo quando res aliqua merè temporalis Ecclesiae pro aliquo temporali vendi prohibetur ab Ecclesia in reverentiam rei sacrae, ut cum datur pecunia pro materia olei sacri vel Chrismatis, aut pro officio oeconomi, Thesaurarii, sacristae vel aliquam administratione rerum temporalium Ecclesiae cap. consulere 38. de sim. simile est: conferens aliquid spirituale, si temporale gratuito oblatum suscipiat non committit Simoniam juris divini, si tamen Ecclesia ob periculum affectus Simoniaci tales gratuitas oblationes suscipere prohibeat, est Simonia juris Ecclesiastici, cujus

Exempla intra dabuntur.

Neque

facilegium & Simonia non
 que enim, res spirituales
 aliter spectata sit
 mper est gravis,
 penetur cum pte

regulationes spirituales
 do patet, sed affectus
 ac quantum in quibus
 lam penitentiam
 huiusmodi non veni

io Simoniae iuris
 & realem. Dixi
 aris divini, quam
 lia Simonia, que
 contingit in datione
 tione rei spiritualis
 tionem Ecclesiasticam
 re in beneficiis
 oritate superioris,
 e Simoniam iuris
 liqua merè temporaria
 vendi prohibetur,
 ze, ut cum datur
 rismatis, aut in
 sacritate vel alio
 Ecclesie capite
 erens aliquid
 arum suscipitur
 si tamen Ecclesie ob
 gratiam oblationes
 aris Ecclesiasticas, cuius

Neque

DE SACRILEGIO & SIMONIA. § II
Neque dicas ; Ecclesiam non posse facere , ut sit
 Simonia quod reverà Simonia non est ; quia dicitur Si-
 monia propter similitudinem , quod prohibitum sit ab
 Ecclesiâ ad vitandum omne irreverentiæ periculum cir-
 ca aliquas res pactiones inire ; præter hanc divisionem.

Explicatur prior : *Simonia mentalis* non est nudum
 propositum vel desiderium dandi aut accipiendi tem-
 porale pro spirituali , quæ potius Simonia interna,
 quam mentalis dici debet ; sed tunc est , quando res
 spiritualis in compensationem rei temporalis vel res
 temporalis ex obligatione propter rem spiritualem ac-
 ceptam datur absque ullâ pactione externâ , ut si Pa-
 tronus ad beneficium præsentet propter rem tempora-
 lem acceptam , item si quis serviat Patrono ut per eum
 beneficium recipiat vel receptum compenset : *Simonia*
conventionalis est vel nuda conventio de dando spi-
 rituali pro temporali , ut promissio rei spiritualis pro
 temporali , vel conventio ab unâ parte impleta & tunc
 vocatur mixta v. g. si beneficium pro pecuniâ promissâ
 sit datum aut data sit pecunia pro beneficio. *Simonia*
realis est conventio Simoniaca ab utrâque parte
 completa ; his additur *Simonia confidentialis* , quæ
 committitur tribus modis per accessum , quando vi-
 delicet quis volens providere suo cognato adhuc prop-
 ter defectum ætatis aut scientiæ incapaci ; eligendo , præ-
 sentando , instituendo , confirmando , resignando be-
 neficium confert alteri sub hâc conditione , ut cognat-
 us capax factus ad illud altero cedente accedat ; per
 regressum si beneficium resignet eo pacto , ut si resig-
 natarius ante resignantem moriatur , vel beneficium de-
 serat per promotionem ad incompatible , resignans
 ad beneficium regrediatur ; per ingressum , quando
 quis beneficium nondum possessum alteri cedit eo pa-
 cto , ut si ille præmortuus fuerit vel melius beneficium
 obtinuerit , cedens illud ingrediatur.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quando contingit Simonia?

DICO I. Sicut Sacramenta dicuntur spiritualia, quia spirituales conferunt gratiam; ita etiam quedam alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedunt, & ad eam disponunt, quæ tamen per hominum ministerium exhibentur... & ideo vendere quod spirituale est in huiusmodi actibus aut emere Simoniacum est. S. Th. hic Q. 100. a. 3. O.

Explicatur Conclusio: Enumerando sigillatim spiritualia, pro quibus si accipiatur aliquod temporale velut pretium, committitur Simonia.

Primò si pro Sacramentis accipiatur pretium; quod contingit, si temporale detur vel accipiatur pro aliquo ex septem Sacramentis, est Simonia juris divini: quia sunt causæ & instrumenta gratiæ spiritualis, quæ sunt maximè spiritualia; in Sacramento tamen matrimonii, cum sit simul contractus, potest inæqualitas in ætate vel nobilitate, quæ est inter contrahentes in dote vel contradote per aliquid temporale absque labe Simonie compensari. Specialiter in susceptione Sacrorum ordinum committitur Simonia: imprimis, si Episcopus aliquem pro temporali pretio ordinet. Deinde si officiales pro testimonialibus ordinum susceptorum aliquid recipiant vel exigant Can. sicut Episcopum 4. Causa I. Q. 2. quantumvis illud sit gratis oblatum juxta constitutionem Concilii Trid sess. 21. de refor. cap. 1. hæc tamen Simonia est juris Ecclesiastici, ideoque per contrariam legitimam consuetudinem abrogabilis. Prætereà si qui Episcopo aliquem ad ordinem præsentent sub conditione alicujus pretii exsolvendi cap. extuæ 20. de sim. Ulteriùs in ordine contingit Simonia, si quis petat à beneficiato aut titurato aut Patrono aliquo etiam laico, ut se ad titulum sui beneficii

aut

aut sui tituli
no præstanc
quod adepi
ex illo bene
carus exiger
ctus qui ex
verbis; Cu
ordinari, &
rebyteru
am præsen
lle firmite
pendem,
ic ad præsen
illicitum
verit miser
tendere ne
neff, quia
as tituli or
bet, quod
m facit, u
quatur ordi
anda sunt
iquid intell
ma tales Si
des. Deni
tus, quod
m scienter
rationes fe
u cap, per t
Secundo i
ctus Eccl
opere ope
m actior
dectio sole
aliqua re
aut
2.2. Th

DE SACRILEGIO & SIMONIA. 513
aut sui tituli aut suæ mensæ aut pensionis certæ à Patro-
no præstandæ ordinari faceret eo pacto & conditione,
quod adeptis ordinibus ordinatus nullam portionem
ex illo beneficio, titulo vel mensâ ad quam est ordi-
natus exigeret, est casus notabilis utinam hodie incog-
nitus qui exprimitur in cap. per tuas 37. de sim. his
verbis: *Cum delator presentium vellet in subdiaconum
ordinari, & certum titulum non haberet, quendam
presbyterum exoravit, ut ipsum ad Ecclesiæ suæ titu-
lum presentaret, quod cum ille facere recusaret, ipse
illi firmiter repromisit, quod nunquam, si presentaret
eundem, in Ecclesiâ suâ aliquam peteret portionem &
sic ad presentationem eius extitit ordinatus, nec se in
hoc illicitum egisse aliquid intellexerit... nisi cum eo
fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores
ascendere nec in suscepto debet ordine ministrare. Ra-
tio est, quia talis ordinatus vel ordinandus remittit fru-
ctus tituli ordinationis, ad quos per ordinationem jus
habet, quod est aliquid temporale, & hanc remissio-
nem facit, ut mediante illâ, quæ est temporalis, con-
sequatur ordines, qui sunt aliquid spirituale. Ubi
notanda sunt relata verba, *Nec se in hoc illicitum egisse
aliquid intellexerit*, quibus indicatur, quod igno-
rantia tales Simoniacè ordinatos communiter non ex-
cuset. Denique quoad pœnam censetur velut Simo-
niacus, quod prohibeatur ad altiores ordines ascendere,
qui scienter ab Episcopo, quem novit Simoniacas or-
dinationes fecisse, ordines suscepit arg. à sensu contra-
rio cap. per tuas 35. de sim.*

Secundo in Sacramentalibus, quæ sunt cæremoniæ
& ritus Ecclesiæ, quæ causant effectus spirituales vel
ex opere operantis vel ex opere operato & consistunt
vel in actione transeunte: ut benedictio nuptialis, Be-
nedictio sollemnis Episcopi vel Abbatis, vel consistunt
in aliquâ re permanente: ut aqua benedicta, calix

consecratus, oleum infirmorum vel Catechumenorum; in his inquam contingit Simonia generaliter, si pro eis pretium detur vel recipiatur, Ipeiatim si calix aureus carius vendatur ob consecrationem, si pro consecratione Chrismatis vel olei aliquid detur vel exigatur, si vero pro materia Chrismatis consecrati vel oleorum sacrorum aliquid detur est Simonia juris Ecclesiastici, quia in cap. ea quæ 16. cap. in tantum 36. de sim. se-
verè prohibetur, ne pro his aliquid exigatur sub præ-
textu alicujus consuetudinis aut alterius cujuscunque
nominis, si pro benedictione nubentium aliquid exi-
gatur, si Ecclesia consecrata vel benedicta pro aliquo
temporali ematur, redimatur vel vendatur juxta cap.
querelam 15. de sim. si Episcopus pro benedictione
Abbatum vel consecrationibus Ecclesiarum, præter
procuraciones non pro ipsis functionibus Episcopali-
bus sed in signum superioritatis & ad prælatos ad hu-
jusmodi functiones facilius inducendos præstari solitas,
aliqua munera exigat.

Tertio in officiis divinis committitur Simonia, si
pro orationibus publicis & officiis divinis, quæ à Cle-
ricis velut ministris Ecclesiæ publicè persolvuntur, ali-
quid detur vel recipiatur cap. ad nostram 21. de sim.
ibi: *Pro ministerio Ecclesiastico exercendo.* Licet ve-
rò Catechistæ & prædicatores possint à populo petere
necessariam sustentationem, si tamen pro prædicatio-
ne verbi divini, lectione Catechetica aliisque instru-
ctionibus fidei aliquid exigant vel accipiant, sunt Si-
moniaci, quia verbum Dei & doctrina Christiana. quæ
est maximè verbum Dei ad salutem animarum ordi-
natur.

Quarto in jurisdictionis Ecclesiasticæ exercitio com-
mittitur Simonia imprimis à confessario in foro pœni-
tentia, si accipiat pretium aliamve rem temporalem pro
audiendis confessionibus; si auditâ confessione me-
dian-

DE SACRILEGIO & SIMONIA, 515

diante pretio concedat absolutionem, si per motus pretio aut alio respectu temporali leviozem peccatis pœnitentiam injungat: quia in his omnibus casibus utitur vel abutitur potestate spiritali pro aliquo temporali. Additur in cap. nemo 14. de sim. *Nec quenquam pœnitentem vel minus dignè pœnitentem gratia vel favore ad reconciliationem adducat & testimonium reconciliationis ferat eidem vel quocunque livore dignè pœnitentem à reconciliatione removeat; quia Simoniacum est utrumque.* Textus autem ille explicandus est in ultimo casu de Simonia similitudinaria non de verâ; quia nullum pactum de dando temporali pro spiritali intervenit, sed tantum talis Presbyter ad satisfaciendum suo inordinato affectui abutitur suâ spiritali potestate. Deinde Parochus est Simoniacus, si jurisdictionem suam pro pretio alteri committat, dando facultatem Parochianos suos in foro pœnitentiæ absolvendi, vel alia Sacramenta administrandi, vel dando Parochiano ob aliquid temporale facultatem cuicunque approbato confitendi, si pro aliquo temporali cum suis Parochianis dispenseret in præceptis Ecclesiæ v. g. dando licentiam in diebus festis laborandi, si pro assistentia in matrimonio pecuniam recipiat, cum hæc quidem non sit actus jurisdictionis, attamen ex institutione Ecclesiæ sit annexa officio Parochi adeoque reducatur ad ministerium Ecclesiasticum nullo pretio vendibile cap. ad nostram 21. de sim. Præterea dare vel recipere pretium pro indulgentiis est Simonia: quia illas vendere vel emere, est vendere vel emere satisfactionem Christi & sanctorum, quæ per indulgentias applicatur, potest tamen in concessione indulgentiæ aliqua pecuniæ contributio exigi non velut pretium, sed per modum Eleëmofynæ tanquam opus requisitum ad lucrandas indulgentias; non est Simonia juris divini dare procuratori, qui scribendo & correspondendo Romæ indulgentias obtinet, ali-

IX.
Catechumenorum
generaliter,
speciatim si cali-
em, si pro con-
tur vel exigatur
ati vel oleorum
uris Ecclesiasticis
36. de sim. se-
rigatur sub præ-
rius cuilibetque
um aliquid cali-
icta pro aliquo
atur juxta cap.
benedictione
arum, præter
us Episcopali-
prælatos ad hu-
spræstari solitas,
ur Simonia, si
is, quæ à Cle-
olvantur, ali-
n 21. de sim.
do. Licet ve-
populo petat
pro prædicatione
aliisque in-
cipiant, sunt
Christiana qua
animarum ordi-
licæ exercitio com-
tario in foro pœni-
em temporalem pro
ti confessione mu-
dia.

quid pro suo labore, quamvis in expeditione indulgentiarum addatur clausula: gratis pro Deo & scripturâ. Ulterius committitur Simonia in actibus jurisdictionis voluntariæ, si dentur vel accipiantur temporalia pro dispensatione in votis, juramentis, impedimentis matrimonii, irregularitate &c. quamvis summus Pontifex pro pretio dispense, licet ille pœnas Simoniacorum non incurrat, cum illæ sint juris humani: quia tales dispensationes sunt actus spirituales tam ex parte principii quam ex parte finis, nihilominus in dispensationibus absque labe Simoniacæ ex his causis aliquid exigi potest: Si vel imponatur solutio alicujus pecuniæ ad usus pios applicandæ in pœnam delicti, ut si fiat dispensatio in irregularitate ex delicto contractâ vel in affinitatibus aut aliis impedimentis matrimonii per illicitam copulam aut si exigatur pecunia per modum subsidii vel stipendii sustentationis applicandi vel prælato dispensanti vel ejus officialibus; & tale onus potius imponitur in dispensationibus quam in aliis gratiis: quia dispensationes sunt odiosæ, propterea onerosæ redduntur petentibus, ne si facillè & absque sumptibus obtineri possent, major licentia præbeatur tales dispensationes importunè petendi, & ideo quo difficilius est dispensatio eo major pecuniæ quantitas pro illâ exigitur. Denique in Ecclesiasticæ jurisdictionis contentiosæ actibus committitur Simonia, si pro actibus judicii Ecclesiastici usque ad ipsam sententiam inclusivè sive causa sit temporalis sive spiritualis, pretium aliquod recipiatur: quia omnis usus jurisdictionis Ecclesiasticæ est quid spirituale; si ligetur vel absolvatur aliquis à censuris pro pretio. *Quoniam indignum est, & Ecclesiasticæ rationi contrarium, ut absolutionis beneficium redimatur, ut dicitur in cap. ad aures 24. de simi. aut si negetur absolutio ex pacto aliquo temporali interveniente, si examinatores*

DE S
aliquo temp
probaruros e
proprie Sim
temporalis in
tam potesta
pro pretio, co
clausula quoc
temporale q
ut Simon
24. de
entum:
nâcunque
sum e
quâquam pr
post accip
um alii da
missis be
nebant E
DICO 2.
horum be
que pericu
terminant.
Explicat
Ecclesiasticis
que in ali
itate datu
beneficioy
aliqua p
tetur, per
quæ ex
Ecclesi
nis pacti
ut Simoniac
de pactis, l
ali.

aliquo temporali interveniente promittant se non approbaturus dignum, non modo Simonia simile est sed est propriè Simonia, quia virtualiter datur spirituale pro temporali in quantum pro pretio negat aliquis exercitium potestatis spiritualis. Si approbent minus dignum pro pretio, committunt Simoniam juris divini, si in concursu à quocunque sive ante sive post examen aliquid temporale quomodocunque oblatum suscipiant, incurrun Simoniam ad minus juris humani, quia per Trid. sess. 24. de refor. cap. 18. iisdem imponitur hoc juramentum: *Jurent omnes ad Sancta Dei Evangelia, se quâcunque humanâ affectione postpositâ, fideliter munus suum executuros; ubi additur: caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante nec post accipiant; alioquin Simonia vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, à quo absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque etiam ante obtinebant & ad alia impofterum inhabiles reddantur.*

DICO 2. *Nec permutatio prebendarum vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo Simonia: sicut nec transactio ut jura determinant. S. Th. hic Q. 100. A. 1. ad 5.*

Explicatur Conclusio: præterquam quod in beneficiis Ecclesiasticis committitur Simonia juris divini, quando cunque in aliquo actu ad provisionem de beneficio concurrente datur temporale pro jure ad beneficium vel in beneficio; est Simonia juris Ecclesiastici, quando intervenit aliqua pactio vel conventio, quomodocunque nominetur, per quam beneficiato aliquis modus vel conditio, quæ ex fundatione beneficii vel auctoritate superioris Ecclesiastici non est annexa, injungitur. Quia omnis pactio omnisque conventio in beneficialibus velut simoniaca reprobatur cap. cum pridem 4. cap. fin. de pactis, Lib. 1. tit. 35. cap. quæsitum 5. de rerum

permutat. Lib. 3. tit. 19. specialiter committitur simonia in sequentibus casibus.

Primò in præsentatione, si Patrono sive Laico sive Ecclesiastico aliquid temporale: ut concessio mutui, exhibitio ministerii, ante vel post vacationem beneficii aut promittatur aut exhibeatur hâc conventionem tacitâ vel expressâ, quod velit exhibentem ad beneficium præsentare. Exemplum est in cap. cum essent 12. de simon. ubi quidam miles: hoc est Laicus nobilis promiserat Clerico beneficium, si causam suam in curia Romana promoveret, quæ conventio declaratur esse simoniaca, idem dicendum est de hâc licitatione, quâ Titius Candidatus licitat pro beneficio cum Cajo intimo amico Patroni vacante beneficio hoc modo: ego sum accepturus illud beneficium, si non sim accepturus, mihi solves 100. aureos, si accepturus ego tibi solvam, & multo magis, si hoc modo licitet cum Patrono, ut perperditionem hujus sponsonis beneficium obtineat.

Secundò in collatione vel institutione, si ex pacto aliquod temporale exigatur vel recipiatur cap. ex diligenti 17. de sim. ubi Archidiaconus instituens ab instituto exigens homagium declaratur simoniacus. Cap. audivimus 41. de sim. Episcopi non permittentes Rectores in Ecclesiis vacantibus institui, nisi certa summa pecuniæ persolvatur, jubentur exacta duplicata restituere in utilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium.

Tertiò in introductione in corporalem possessionem beneficii, si pro ipsâ immiſsione in possessionem aliquid temporale exigatur, si in Canonici admiſsione ad possessionem vel residentiam fructuosam aliquid exigatur dividendum inter capitulares cæteros, simonia committitur, quam non excusat statutum vel consuetudo etiam immemorialis probatur ex Cap. Jacobus 44. de sim. in quo reprobatur consuetudo exigendi

pran-

DE S
grandum an
signetur p
tor. ubi o
zation
llione ad p
ones aut de
ibus acco
durur
m. 2. Bul
rogantur
claravit
aruto Nec
iam ad cau
etia, nisi
probatum
is adhuc c
enter adri
nicæ vel C
ad residen
pecunias,
Quarò in
onia si pro
ignissima
in capitula
ad tempora
veniant:
3. prapofiti
icani; si p
modo promi
tempulum ef
vel quod
relectioni
opus sit, n
licetia: im

prandium antequam recepto de novo in Canonicum assignetur præbenda & Trid. sess. 24. Cap. 14. de refor. ubi omnes tales consuetudines ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione sive in admissione ad possessionem Canonicatum certæ conditiones aut deductiones ex fructibus fiant, reprobantur. Quibus accedit specialis constitutio S. Pii V. quæ incipit: durum nimis. Et est 64. ta edita Anno 1570. tom. 2. Bullarii, in qua statuta contraria etiam jurata abrogantur; demum sacra Congregatio Cardinalium declaravit, quod non possit de cætero ex quocunque statuto Neo-Canonicis imponi, ut aliquid solvant etiam ad causam piam veluti pro fabricâ vel sacristiâ Ecclesiæ, nisi tale statutum à Papâ ex certâ scientiâ fuerit approbatum, verum in Germaniâ in plerisque Collegiis adhuc contraria viget consuetudo, ut Canonici recenter admissi fructibus primorum annorum in usum fabricæ vel Capituli convertendis careant & in receptione ad residentiam vel possessionem Capitularibus certas pecunias, quas vocant statutorum, exsolvant.

Quartò in Electionibus Ecclesiasticis committitur simonia si pro electione particularis personæ quantumvis dignissimæ vel toti Capitulo vel etiam particulari alteri capitulari, ut suo voto suffragetur, pecunia vel aliud temporale offeratur; si duo electores inter se conveniant: ego dabo tibi votum meum in electione v.g. præpositi & tu dabis mihi tuum votum in electione Decani; si pro suffragio alicui capitulari in electione dando promittatur beneficium vel aliqua promotio, exemplum est in Cap. de hoc 10. de sim. si detur pecunia vel quodlibet temporale alicui Capitulari ne consentiat electioni alicujus candidati certi alias digni (si indignus sit, non est simonia, sed redemptio vexæ injustæ Ecclesiæ imminentis) ne in numero votorum alium

superet. Si electus pecuniam vel aliud temporale offerat pro sua confirmatione.

Quintò in resignationibus præter simoniam confidentialem supra expositam committitur simonia, si resignanti detur vel promittatur aliquid temporale ut resignet Cap. cum pridem 4. de pact. Si quis resignet beneficium in favorem alicujus, ut resignatarius vel alius aliud beneficium in favorem resignantis vel suorum resignet, vel ut resignatarius in electione vel præsentatione ad aliud beneficium resignanti patrocinetur; si quis beneficium coram ordinario resignet eâ conditione, ut illud alteri à se designato conferatur. Si beneficium resignetur cum impositione pensionis annuæ per privatam conventionem vel in favorem alterius eo pacto, ut resignatarius solvat expensas, quas resignans vel litigando vel alias ob causas facere debuit ut beneficium resignatum obtineret vel in illo se maneret.

6. In transactione super beneficio litigioso committitur simonia, si fiat privatâ authoritate, ut unus beneficium retineat, & alter expensas solvat arg. cap. ult. de rerum permut. cap. constitutus 4. cap. super eo de transact. lib. 1. tit. 36. in quo dicitur, quod hujusmodi transactiones simoniæ speciem continent, videlicet si nihil interveniat temporale, est simonia juris Ecclesiastici, alias si pro temporali cedat quis jure suo, est simonia juris divini. In permutationibus beneficiorum committitur simonia juris Ecclesiastici, si duo beneficiati absque authoritate superioris Ecclesiastici sua beneficia commutent cap. questum 5. cap. cum olim 7. & cap. cum universorum 8. de rerum permut. committitur simonia juris divini, si commutantes beneficium pinguius cum tenuiori excessum fructuum unius beneficii pecuniâ compensent, aliud est in commutatione duarum

Ecclesia-

Ecclesiarum incorporatarum, cum enim tunc non
 tantum Ecclesie, quæ simul cum fructibus & redi-
 tibus jure proprietatis ad monasterium vel colle-
 gium, cui incorporatae sunt, pertinent, sed etiam
 fructus Ecclesiarum commutentur, sunt vel forma-
 liter vel æquivalenter duæ permutationes, una Ec-
 clesiarum, in quâ purè spirituale cum spirituali per-
 mutatur, altera reddituum, in quâ redditus tempo-
 rales permutantur, hinc potest excessus, si quis est
 in fructibus pecunia vel aliter compensari, ex cap.
 ad quæstiones 6. de rerum permut. in quo ita Cle-
 mens III. *Intelleximus ex litteris tuis, quod duæ con-
 ventuales Ecclesie sunt in tua diocesi constituta, quarum
 utraque parœciale habet Ecclesiam cum possessioni-
 bus magis alteri, quam sibi vicinam, illis autem de-
 siderantibus permutare eas, cum illarum altera respectu
 meliorum proventuum plus abundet, Et ideo sibi postu-
 let adjici certam summam pecunie numerata, ut sic ad
 equalitatem valeant pervenire...* respondemus, cum
 de dictis parœcialibus Ecclesiis per se queat commutatio
 celebrari, Et in permutatione possessionum per se non sit
 inhibendum, si altera ratione possessionum alteri præpon-
 deret, pecuniam posse refundi de ipsorum possessionibus
 ad invicem, prout visum fuerit expedire, refusâ cer-
 ta pecunie quantitate poterit contractus permutationis
 iniuri, sic tamen, quod illi contractus nequaquam sibi
 invicem misceantur. Ex quibus colligitur disparitas
 inter permutationem beneficiorum, in quibus au-
 thoritate ordinarii permutantes excessum reddituum
 per temporale compensare non possunt: quia redi-
 tus beneficiorum non ad ipsos sed ad Ecclesiam
 cujus beneficio annexi sunt jure proprietatis perti-
 nent, à quo titulo per solum summum Pontificem
 separari possunt.

Denique ad beneficia accedunt pensiones Eccle-

siastica, quæ si dentur clerico ad prosequenda sua studia cum obligatione officii mariani vel similis officii spiritualis, sunt materia simoniæ & invendibiles, si sint à S. Pontifice ex beneficiis, quæ contulit vel quorum collationem accepit, reservatæ, auctoritate privatâ possunt redimi aut vendi, cum nihil spirituale, sed solum onus annuè tantum solvendi, aut recipiendi in contractum veniat, uti etiam si sint merè temporales propter ministerium aliquod concessæ, quarum etiam laici sunt capaces.

Q. Quo titulo instituentes in parochiis aliisque beneficiis v. g. Archidiaconi exigentes certam taxam, ipse Summus Pontifex exigens annatas ità dictas, quod significant fructus primorum annorum, de beneficiis, quorum provisio fit in curia Romana, excusentur à simonia?

R. Quia Summus pontifex est plenissimus administrator rerum beneficialium, qui potest reditus beneficiorum vel in toto vel ex parte à titulis beneficiorum separare, eosque ad usum Episcopi, fabricæ, alteriusve Prælati commodum reservare, potest imprimis Summus Pontifex in utilitatem Romanæ Ecclesiæ primorum annorum vel primi anni fructus justè reservare, tum quia est pastor totius Ecclesiæ universalis gregis curam gerens, tum quia in antiqua lege Levitæ decimas decimarum offerre debebant Aaroni summo sacerdoti Num. 18. cur non æquè in nova lege summo Pontifici, cujus ministerium est multo dignius, inferiores Sacerdotes partem proventuum præstent? Deinde privilegio Apostolico vel consuetudine vel statuto induci potuit, ut primi anni unius vel plurium fructus reserventur, v. g. Episcopo vel Archidiacono, ac in redemptionem horum fructuum certa taxa solvatur. Ità probatur ex cap. si propter 10. de rescrip. in 6. lib. 1. tit.

tit. 3. in quo Bonifacius VIII. interpretatur gratiam concessam de fructibus beneficiorum primi anni episcopo ad persolvenda debita percipiendis. ex cap. prælenti 9. de off. ord. in 6. lib. 1. tit. 16. in quo idem Pontifex prohibet: ne Episcopi aliive Prælati occupent bona in beneficiis inventa aut tempore vacationis obvenientia, eaque in usus suos convertant sub hac limitatione: *nisi de speciali privilegio vel consuetudine jam præscriptâ legitimè, seu aliâ rationabili causâ hoc eisdem competere dignoscatur* ex extrav. Joan. XXII. suscepti 2. de elect. in quâ præmittitur: *cum in nonnullis Ecclesiis observetur, & à longis retrò temporibus fuerit observatum, quod fructus primi vel secundi aut alterius cujuscunque sequentis anni beneficiorum vacantium in eisdem defuncto vel fabrica aut Ecclesiis vel personis habentibus annalia de consuetudine, privilegio vel statuto applicantur in totum, ita, quod illi, qui hujusmodi beneficia canonicè obtinent, & ad quos aliàs de jure fructus ipsi spectare deberent, nihil inde percipiunt.* His præmissis consuetudinem, privilegium vel statutum simile non reprobatur, sed tantum disponit, qualiter annalium perceptio fiat, ne Ecclesiæ debitis fraudentur servitiis: ex quibus inferitur, quod, ubi tali jure primorum annorum redditus reservati sunt, taxæ solvantur non titulo spirituali, sed titulo redimendi primorum annorum fructus, quo titulo etiam forte pecuniæ statutorum, de quibus supra dictum est, in collegiatis Germaniæ à neo-canonicis solvantur. Hinc Trid. sess. 24. cap. 14. cit non simpliciter quascunque constitutiones & consuetudines collegiorum reprobatur, sed præcipit Episcopis, *ut diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint*

runt, exceptis, reliquas ut pravas & scandalosas rejiciant & aboleant.

DICO 3. *Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium S. Th. hic Q. 100. A. 3. ad 4.*

Probatur : non licet pretium exigere vel accipere pro re spirituali, atqui ingressus monasterii pro ut comprehendit admissionem ad habitum, ad professionem & quæcunque ad illam pertinentia, est spirituale : quia ordinatur ad perfectionem Christianam per media quædam in statu religioso ordinata videlicet observantiam trium votorum & exercitia religioni propria obtinendam. Contingit autem hæc simonia in sequentibus casibus.

1mo. Si quis alteri promittat temporale ut religiosus fiat v. g. si frater natu major minori vel sorori promittat annuam pensionem, ut religiosa fiat, ac ipse plus ex hæreditate paterna participet can. qua n pio. 2. causa 1. Q. 2. quia pro pretio temporali emitur actio spiritualis in ordine ad aliquid temporale consequendum, ubi notanda est limitatio D. Ang. hic Q. 100. A. 3. ad 4. *Licitum est aliquem provocare ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum, licet non sit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingressu monasterii exemplum est in cap. 2. de condit. apposi. lib. 4 tit. 5. in quo Diaconus servis libertatem concessit, si monasticum habitum suscipere, in eoque perseverare vellent ; sicut enim licet infideli promittere pecuniam, si Baptismum suscipiat, & reo capitalis criminis impunitatem, si religiosus fiat, ita multò magis licet servo libertatem concedere, si monasticum institutum amplectatur.*

2. Si pro habitu monastico vel susceptione ad professionem religiosam aliquid temporale exigatur

tur cap. non satis 8. cap. veniens 19. cap. de regularibus 25. cap. dilectus 30. cap. quoniam 40. de simon. Ratio est : quia status religiosus est status spiritualis tendens ad perfectionem , novitius autem habitum suscipiens est in via ad statum religiosum , ipsa quoque professio est quid purè spirituale ; ergo si pretio ematur est simonia , quamvis talis professio religiosa simoniacè facta esset valida ; particulares quoque religiosi pecunia corrupti ad dandum vel negandum votum pro professione sunt simoniaci.

3tio. A novitiis aliquid temporale pro victu & vestitu tempore novitiatus exigere non est simonia : quippe , cum nondum sint membra monasterii , victus & amictus ex redditibus monasterii ipsis nondum est debitus , nec est simonia juris divini aliquid à parentibus novitii vel ab ipso novitio spontè & gratuito durante novitiatu oblatum suscipere , attamen concil. Trid. sess. 25 de regularibus cap. 16. graviter prohibet , ne ante possessionem quocunque prætextu à parentibus vel propinquis vel curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejus tribuatur , ne hac occasione discedere nequeat.

4to. Titulo sustentationis ab ingredientibus dos sive certa pecuniæ summa exigere potest in monasteriis non sufficienter fundatis absque labe simoniæ , quia sustentatio est aliquid temporale , quod in isto casu non est annexum professioni , ideo sicut in ordinatione , quamvis non possit exigere pretium pro ipsa ordinatione ; attamen Episcopus , si ordinari petat Clericus nondum beneficiatus , exigere debet assignationem patrimonii vel alicujus census sufficientis pro sustentatione ordinandi , ita etiam si monasterium non habet redditus , ex quibus alatur personam , quæ petit ad professionem admitti , ab illâ exigere potest Patrimonium vel censum , ex quo illam alatur , an vero etiam monasterium sufficienter dotatum

CXIX.

Scandalosus re-

si non licet aliqui

Th. hic Q. 100.

exigere vel accipe-

re monasterii pro-

habitu , ad pro-

vertendum est spi-

ritualis Charita-

tem religio ordinata

um & exercitia

tingit autem

temporale ut

minori vel lo-

, ut religiosa

participet can-

o pretio tempo-

ad aliquid tem-

porale est limitatio

temporalis be-

neficio ingressum,

are vel recipere

t in cap. 2. de

Diaconus servit

habitu suscipere

cut enim licet in

titium suscipere

tem , si religiosus

veritatem concede-

plectatur,

vel susceptione ad

temporale exigat

ur

dotatum possit titulo sustentationis aliquid ab ingredientibus exigere, disputatur. Pro parte affirmativa stat consuetudo recepta, præcipuè in monasteriis monialium, in quibus videmus neminem recipi, nisi sufficientem pecuniam ad sui sustentationem offerat, vel aliâ ratione monasterio prodesse possit, imo ultra hanc summam quæ dotis nomen obtinet, aliquid in usum præexistentium monialium debet erogare, signum ergo est hoc non esse prohibitum jure Ecclesiastico, aut si prohibitum est, consuetudinem adversus prohibitionem prævaluisse.

Dices: Ex admissione ad monasterium religiosus acquirit jus ut ex redditibus monasterii sustentetur; ergo non potest exigere quid pro sustentatione.

Confirmatur exemplo beneficiati, qui adeptione beneficii acquirit jus ut ex redditibus beneficii sustentetur, undè non potest deduci in pactum, ut ex suo Patrimonio sustentetur & fructus beneficii aliis Clericis pauperibus applicet.

R. Sustentationem religioso debitam esse ex admissione ad professionem, sicut est debita aliis religiosis, non tamen integrè sed solum pro facultate reddituum monasterii, quod fortè ex novi religiosi ingressione damnatum patitur, eo quod redditus insufficientes reddantur ad omnium congruam sustentationem vel ad alia onera sustinenda, quæ monasterium vel debet vel vult subire, cum autem inconueniens sit religiosos præexistentes gravari ex recentis ingressione aut viam perfectionis aliis aptioribus præcludi, eâ de causa pecunia exigitur in sustentationem noviter ingressi; præcticè verò vix ob quotidianam reddituum imminutionem & onerum aggravationem, remanebunt monasteria sufficientia ad consuetum religiosorum numerum competenter alendum nisi dotibus ingredientium iuventur.

Diffe-

DE SACR
 Differentia inte
 quod beneficiatus
 edicus beneficiatu
 que in propriis bo
 præexistentes ex
 loquuntur de exig
 onis ut cap. n
 veniens 19, cap.
 modo exigen
 nem modum à
 erunt Pontifices
 quoniam 40. de S
 asteria monialium
 ant, intelligendi
 non sit, & tat
 raro tamen
 ere subsidio ing
 officia sibi uti
 præcludatur i
 in, in quantum
 tentationis, co
 asteris monialium
 obantur, nisi a
 mprus convivio
 cum quâ
 to non potest
 habere & pacifi
 ante professio
 ni, post professi
 quod habet si
 gere potest.
 DICO 4. Ac
 ministrantium
 ecclesia & consu
 Th. hic Q. 100.

Differentia inter beneficiatum & religiosum est: quod beneficiatus non eligatur ad beneficium ad cuius reditus beneficiatus alius jus integrè habeat, damnumque in propriis bonis patiatur: sicut patiuntur religiosi præexistentes ex novi ingressu, Canones oppositi vel loquuntur de exigentibus pecuniam pro ingressu religionis ut cap. non satis 8. cap. cum in Ecclesiæ 9. cap. veniens 19. cap. dilectus 30. de Simonia, vel loquuntur de modo exigendi munuscula pro singulis religiosi; quem modum à particularibus personis exigendi intenderunt Pontifices in sacris canonibus prohibere. Cap. quoniam 40. de Sim. in quo prohibet Pontifex ne monasteria monialium prætextu paupertatis aliquid exigant, intelligendum est, si monasterium revera pauper non sit, & tamen hoc titulo & colore aliquid exigat, raro tamen contingere potest monasterium non egere subsidio ingredientis, ne propter illius ingressum alia officia sibi utilia impediatur, neve aliis aptioribus præcludatur ingressus. Extrav. sane 1. de sim. inter com. in quantum prohibet aliquid exigere etiam titulo sustentationis, contrariâ consuetudine præcipuè in monasteriis monialium est abrogata, nec in illa extravag. reprobantur, nisi abusus qui fiunt circa apparatus & sumptus conviviorum in susceptione & professione regularium cum quâdam exactione.

Sto non potest monasterium ante professionem contrahere & pacisci super quota patrimoniali novitii, cum ante professionem nullum jus habeat ad bona novitii, post professionem tamen pro renuntiatione juris, quod habet succedendi in personâ sui professi transigere potest.

DICO 4. *Accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia secundum ordinationem Ecclesiæ & consuetudinem approbatam licitum est. S. Th. hic Q. 100. A. 3. O.*

Pro-

Probatur à S. Th. ex illo 1. Cor. 9. *quis militat suis stipendiis unquam? quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat?* deinde patet ex lege veteri secundum quam ex mandato Dei Levitis pro sustentatione à cæteris tribubus dabantur decimæ: & ratio est: quia ministrans ab illo alendus est, cui ministrat, cum sine alimentis nec vivere nec ministrare possit, unde non pro ministerio, sed ut aliquis sit, qui ministerium obire possit, stipendia sustentationis sive ab Ecclesia sive à consuetudine taxata dantur. Ex hoc capite

imò Titulo sustentationis possunt Sacerdotes (modo aliunde non prohibeantur) pro missis stipendia exigere, quorum quantitas determinanda est juxta consuetudinem vel determinationem ordinarii nec amplius Sacerdotes exigere nec alii minus offerre debent, si tamen pro missâ legendâ minor elemosyna fuerit data & acceptata juxta declarationem S. Congregationis tot missæ, quot petiit offerens elemosynam etiam minoré, legi debent, non vero tantum tot quot correspondent quantitati stipendii vel ex consuetudine vel ab ordinario determinati ex ejusdem sacræ congregationis declaratione, Sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam pro certa elemosyna, non licet eandem missam celebrandam committere alteri Sacerdoti parte Elemosynæ ejusdem sibi retenta: quia si illa elemosyna solum intuitu missæ celebrandæ sit data, & recipiens onus illud in alium devolvat, nullum alium habet titulum, quam avaritiæ & turpis lucri, ex quo partem illam retineat. *Dixi*: intuitu solius missæ celebrandæ: si enim offerens ex alio motivo v. g. amicitia, gratitudinis &c. Sacerdoti largiorem elemosynam offerret, adjecto onere, ut aliquod sacrum pro se legeret, non videtur retinendo sibi partem & per aliam legendo sacrum facere contra decretum S. congregationis; sicut nec

contra

DE SACR
 contra illud faci
 gendam missam
 & juxta morem
 tantâ sibi aliâ pa
 tione beneficii a
 tibus & piis loc
 pendis aliquant
 bratione miss
 tione ejusdem
 otes benefici
 a, ut illam p
 pro applicatio
 bfolare, qui t
 rum, potest
 cipere, ut de
 quibus diebu
 beneficii seu cap
 etiam pro e
 non possunt eâ d
 re, Hinc Paro
 nis & festivis c
 um populo, ne
 plicatione illius
 do Titulo f
 corationes,
 antur, tempe
 rari tamen visitat
 rum cap, cum i
 cument. 2. eoc
 scribunt.
 Tertio titulo
 rillud, qu
 cipi non posse
 sibi abrogeru
 quita ad legit
 2. Theol. S

contrà illud facit, qui obligatus ex beneficio ad legendam missam illam legit per alium erga congruum & juxta morem patriæ determinatum stipendium retentâ sibi aliâ parte fructuum beneficii, nisi in fundatione beneficii aliter cautum fuerit, Præterea nisi Ecclesiis & piis locis desint redditus, non possunt ex stipendiis aliquam partem ratione expensarum in celebratione missæ factarum sibi retinere, ex declaratione ejusdem S. congregationis, Denique Sacerdotes beneficiati, quibus injuncta est missa legenda, ut illam pro defuncto applicent, non possunt pro applicatione illius accipere stipendium, nec absolutè, qui ratione beneficii est obligatus legere sacrum, potest pro applicatione illius stipendium accipere, ut declaravit S. congregatio, Sacerdotes quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellæ legati aut salarii, si eleemosynas etiam pro aliis missis celebrandis susceperint, non possunt eâdem missâ utrique obligationi satisfacere, Hinc Parochus, qui obligatur diebus dominicis & festivis celebrare pro populo aut saltem coram populo, non potest recipere eleemosynam pro applicatione illius sacrificii,

2do Titulo sustentationis dantur visitoribus procuraciones, hoc est: sumptibus eorum qui visitantur, tempore visitationis sunt alendi, in quibus tamen visitatores servare debent moderationem quam cap. cum Apostolus 6. de cens. lib. 3. tit. 39. Clement. 2. eod. tit & trid. Sess. 24. de ref. cap. 3. præscribunt.

Tertio titulo laudabilis consuetudinis licitè recipitur illud, quod aliàs ob prohibitionem Ecclesiæ recipi non posset, ut per illam simonia juris Ecclesiastici abrogetur, modo illa consuetudo habeat requisita ad legitimam consuetudinem legem abro-

2. 2. Theol. Schol. Pars posterior. LI gan-

gantem, nempe imò sit rationalis, specialiter non prohibita, eò, quod sit contra immunitatem Ecclesiasticam vel enervet disciplinam, Deinde sit legitimè præscripta, ad quod requiritur, ut saltem per decennium sit continuata. Velut irrationalis reprobatur consuetudo, si habeat, ut temporalia eo tempore, quo spiritualia ministrantur, ii qui ex officio obligati sunt, ex pacto petant vel exigant, nec ante spiritualia conferant, quam temporale iis præstetur, hæ consuetudines reprobantur in cap. non satis 8. cap. 9. cap. in tantum 36. cap. sicut 39. cap. ad apostolicam 42. cap. Jacob. 44. de sim. similes quoque consuetudines non verò pias & laudabiles reprobavit concilium Trid. consuetudines autem laudabiles & piæ induci possunt duobus modis: 1mo. si fideles diuturno tempore cum tacito Prælatorum consensu soliti sint aliquid offerre parochis vel ministris aliis Ecclesiæ, etsi sufficientes redditus habeant. 2do. si consuetudo aliquid exigendi in administratione Sacramentorum ab initio ex rationali causa inducitur fuerit, tunc quamvis illa causa modo cesset, quia v. g. redditus aucti sunt, si tamen Parochi longo tempore oblationes aut tales præstationes bona fide susceperint, per præscriptionem eas acquisierunt, ità ut obligati maneat parochiani ad eas non ex vi voti vel speciali intentione ad eas se obligandi, quæ abesse supponuntur, sed ex vi juris acquisiti Ecclesiæ ex assistentia & adminiculo juris quod præstat cap. ad Apostolicam 42 de sim. si tamen fideles tales oblationes ex diuturna & legitima consuetudine fieri solitas negent, non ab ipsis clericis per negationem Sacramentorum aut divinorum, sed per Episcopum ad eas faciendas cogi debent & possunt, licet etiam clerici divites sint, ut ità omnis species avaritiæ & simoniæ absit.

Q. An

DE SAC
Q. An sit si
male detur ten
Ante respon
exam, qui imp
vel ex charitat
ut si illud tene
ur redimere
re delinat hoc
impedime
m sit iustur
o arceatur,
R. I. Quoad
um vexa per a
over dato ten
gatur Sacrat
tate necessat
sacras injuri
tate si ve ex
amentum po
m administre
tam oblatio
mentum injuste
tam, quo in
endo deponat
no Sacramente
nec dans pe
intentioni n
ducere à pec
sacramenta &
dubium, c
sacratam d
clesiam, H
mas, heretic
menti offerre
lega manibus e

Q. An sit simonia si injustè neganti aliquod spirituale detur tempore titulo redimendæ vexæ?

Ante responsionem *nota*, quod ille dicatur inferre vexam, qui impedit, ne alius obtineat spirituale, quod vel ex charitate vel ex justitia ipsi conferendum esset, aut si illud teneat, ne quietè possideat, is vero dicitur redimere vexam, qui aliquod temporale dat, ut desinat hoc impedimentum causare. Quale autem est impedimentum, talis est vexa, si impedimentum sit justum v. g. quo indignus ad beneficium ab illo arcetur, vocatur vexa justa. Hoc notato

R. I. Quoad Sacramenta & res sacras redimit injuriam vexam per aliquod temporale, qui vel quoad se remouet dato temporali injustum impedimentum, quo negatur Sacramentum aut res sacra ad salutem absolutè necessaria, vel quoad ipsa Sacramenta aut res sacras injuriam propulsat; unde in quâlibet necessitate sive extrema sive gravi injustè neganti Sacramentum potest offerri pecunia, ut Sacramentum administret; si enim precibus & minis, cur non etiam oblatione pecuniæ possum animam Sacramentum injustè negantis immutare, ut pravum affectum, quo impeditur à debito virtutis opere præstando deponat; hoc enim non est dare pretium pro Sacramento, sed ut desistat ab injustâ vexatione, nec dans pecuniam intendit satisfacere simoniacæ intentioni negantis Sacramentum, sed eundem abducere à peccato injustæ vexationis. A potiore ut Sacramenta & res sacre ab injuriis vindicentur non est dubium, quin liceat Judæo sacrilegè Hostiam consecratam detinenti, infideli occupanti injustè Ecclesiam, Hæretico indignè tractanti sacras reliquias, hæretico ministro beneficium ecclesiasticum retinenti offerre aliquid temporale, ut eorum sacrilegis manibus eripiantur sacra Eucharistia, Ecclesia,

reliquiæ Sanctorum, beneficium ecclesiasticum : quia tunc non datur pecunia, ut ematur Eucharistia, Ecclesia &c. sed ut ab injuria indignè tractantium vindicetur.

2do. Quoad beneficia optimè distinguit S. Th. hic A. 2. ad 5. *dicendum, quod antequam alicui acquiratur Jus in episcopatu vel quâcunque dignitate vel præbendâ, per electionem vel provisionem seu collationem; simoniacum esse adversantium obstacula pecuniâ redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam Jus alicui jam acquisitum est; licet per pecuniam injusta impedimenta removere;* quibus verbis S. D. ostendit quod jure nondum acquisito in beneficio non liceat absque vitio simoniæ pecuniâ oblatâ redimere vexationem etiam injustam ab eo, qui non tantum obesse, sed etiam prodesse potest, hoc est, apud quem est potestas dandi illud spirituale, quod est acquirendum. Apponit rationem: quia tunc offerens pecuniam vult acquirere spirituale mediante pecuniâ, adeoque spirituale emere; tunc enim removere impedimentum nihil aliud est, quam spirituale conferre, cum tota vexa consistat in injustâ denegatione v. g. voti in electione, confirmationis, institutionis &c. exempla habentur in cap. Matthæus 23. cap. sicut tuus 33. de sim. excipiunt probabiliter casum, quo is, qui prodesse potest in obtinendo spirituali, aliter vexat, quam abutendo suâ potestate quam habet v. g. ad eligendum, dum videl. infamat candidatum, ut alios electores ab eo avertat; si tunc detur pecunia ad hanc vexam redimendam: non enim tunc redimitur vexa ab electore, in quantum potest prodesse: quia, ut supponitur non datur temporale, ut ille suo voto patrocineretur, sed in quantum potest obesse alios electores avertendo,

dare

dare verò temporale illi, qui obesse tantum potest
 etiam ante jus quæsitum in beneficio, ut removeat
 obstaculum, non est simonia, cum hoc modo non
 paretur via per temporale ad spirituale directè, sed
 solum indirectè & valdè remotè, sit exemplum.
 Titius quendam electorum vi detinet, ne veniat ad
 locum electionis, & consequenter dare possit suum
 votum in favorem Caji, ad quem scitur inclinatus,
 tunc licet Cajo ejusve amicis dare pecuniam detinen-
 ti, ut electorem liberè dimittat: quia liberare se
 hoc modo à vexatione injustâ alterius, non est in-
 trinsecè malum: cum liceat unicuique injustas
 machinationes contrâ se impedire, nec hoc est eme-
 re rem spiritualem, aut directè sibi facere aditum
 ad dignitatem, sed redimere nocumentum, pro
 cujus cessatione pretium datur; quod autem jure
 quæsitum in beneficio, si aliquis injustis modis illud
 velit tollere, possit aliquid absque labe simoniæ of-
 ferri, ut ab ipsa injusta vexa cessetur. Probatum ex
 cap. dilectus 28. de sim. ubi refertur, quod præ-
 positus quidam Archidiacono molestias inferenti
 certam quantitatem pecuniæ, ut liber esset à mo-
 lestiis, dederit, propterea tamen non reprehendi-
 tur, ut simoniacus. *Ratio est*: quia dans ex tali
 causa pecuniam non dat illam pro ipsa re spirituali,
 sed pro tollendâ injustâ vexatione, nec per illam
 pecuniam aliquid spirituale quis acquirit, cum sup-
 ponatur illud jam habere; at tamen ut hoc licitè
 fiat, requiruntur hæ conditiones. Imprimis ut Jus,
 quod vexatus habet in beneficio, sit certum secun-
 dum commune peritorum judicium, alias enim
 nondum beneficium est simpliciter acquisitum.
 Deinde ut vexatio sit injusta: quia si illa sit justa
 & lis justè intentetur, censetur redimi spirituale. De-
 nique ut res, quæ datur pro tollenda injusta vexa-

tione, sit temporalis, quæ in commutationem licite deduci possit: nam si daretur res spiritualis, ut alter à vexatione desisteret, committeretur ex alterâ parte simonia v.g. si quis in pingui beneficio, quod possidet, vexetur, & vexanti offerat tenue beneficium, ut à vexando desistat, offert enim tunc spirituale pro temporali videl. beneficium tenue ut à vexâ desistat.

Præterea à acquirendo beneficio offerens aliquid temporale ei, ad quem pertinet mittere in possessionem, ne injustè à possessione impediatur, à multis arguitur simoniæ reus: quia possessio videtur aliquid spirituali annexum: cum per eam acquiratur exercitium spirituale; attamen probabile est id licere: quia possessio secundum se spectata non est quid spirituale, consistit enim in facto videlicet corporali apprehensione; ergo non est simonia redimere vexam impediendam apprehendere possessionem; quia solum redimitur factum non jus spirituale beneficii.

Denique Principi infideli licet offerre pecuniam, ut det facultatem prædicandi Evangelium, administrandi Sacramenta fidelibus sui territorii: quia tunc non datur pretium pro exercitio talium actuum: cum Princeps similes actus spirituales exercendi facultatem dare nequeat, sed solum, ne impediat promulgationem Evangelii aut Sacramentorum administrationem, licet quoque probabiliter patrono hæretico, qui alioquin beneficium vacans erat collaturus hæretico aut sibi reservaturus, pecuniam offerre, ut mihi conferat: quia tunc primaria intentio offerentis pretium, est redimere vexam Ecclesiæ, quæ jus quæsitum habet, ut beneficia conferantur ministris dignis, & vexatur, si beneficium conferatur indigno; talem autem vexam redimere

De SAC
ere licet ei
facto cong
reus vindic
delia procur
per pecuniam
tate & indi
men patron
alico conf
offerre, i
ori plus of
obtainat
sed ad
re benefi
ille potest
Q
CO Qui
tur, ea lic
niam ve
mediatore
A. 6. in O
prom resti
tate obten
orum pœn
Pars ex
nulli vendit
us temp
tus de jure
ne Simoni
pultitæ, v.
administ
na ad rest
na corum

dimere licet ei, qui nondum habet jus in beneficio, quo facto congruum est, ut beneficium è manibus hæreticis vindicatum illi potius detur, qui bonum Ecclesiæ procuravit, quam alteri, nec censetur sibi per pecuniam parasse viam ad beneficium, nisi remotè & indirectè, quod nullo jure prohibetur; si tamen patronus hæreticus sine perniciosâ dilatione catholico conferre beneficiû debeat, simonia est pretium offerre, imò multò minus licet Catholico competitori plus offerre, ut præ alio Catholico beneficium obtineat: quia tunc non redimitur vexa Ecclesiæ, sed ad summum propria, nulli autem licet in re beneficiariâ redimere vexam ab alio, qui prodesse potest ante jus quæsitum in beneficio.

QUÆSTIO IV.

Quæ Pœna Simonia?

DICO *Qui muneris interventu spiritualia assequitur, ea licitè retinere non potest, insuper autem simoniaci tam vendentes quam ementes spiritualia aut etiam mediatores aliis pœnis puniuntur* S. Th. hic Q. 100. A. 6. in O. sive non tantum pretium simoniacè acceptum restituendum, sed etiam beneficium simoniacè obtentum dimittendum aliæque sunt simoniacorum pœnæ.

1ma Pars explicatur & probatur: Imprimis si ex re spirituali venditâ is, qui pretium temporale dedit, nullum jus temporale aut commodum habeat, tenetur vendens de jure naturæ ad restitutionem pretii, non tam ratione Simonix formaliter, quam ratione commissa injustitiæ, v. g. Parochus accipit & exigit pecuniam pro administratione Sacramentorum velut pretium, tenetur ad restitutionem pretii accepti: quia violat justitiam commutativam: tum quia nullum omnino jus

habet ad res purè spirituales nullo pretio æstimabiles pretio vendendas, sicuti igitur usurarius, quia pretium exigat pro ipsâ mutuacione, quæ non est distincto pretio à sorte mutuata æstimabilis, usuram restituere tenetur ex jure naturali, ita etiam Simoniacus, quia pro largitione rei purè spiritualis nullo pretio æstimabilis pretium exigat, illud restituere obligatur; tum quia Parochus non est Dominus sed dispensator rerum spiritualium, sicut igitur Eleëmofynarius principis pro Eleëmofynis gratuito dispensandis accipiens pretium, ita & Parochus obligatur ad restitutionem; tum demum quia Parochus ex officio est obligatus Sacramenta ministrare Parochianis. Si verò ex re spirituli collatâ proveniat aliquod commodum temporale, sed alter gratis ex officio tenebatur conferre illud spirituale, etiam tenetur ex jure naturæ pretium Simoniacè receptum restituere; quia sine ullo justo titulo exigat temporale.

Deindè si in contractu Simoniaco nulla committatur injustitia, nulla etiam quantum est ex jure naturali & divino, est obligatio restitutionis, pro exemplo dari solet Simoniaca renuntiatio in favorem alterius; cum enim beneficiatus habeat jus fruendi fructibus beneficii, quamdiu titulum beneficii habet, si pro cessione hujus juris aliquod temporale pretium recipiat, est Simoniacus, non tamen injustus: cum se privet aliquo commodo temporali in gratiam alterius, idem probabile est in venditione Simoniacâ juris Patronatûs, cum jus Patronatus annexas habeat commoditates spirituales, ut honorem præcedentiæ, sustentationem in casu necessitatis &c. ideoque horum venditio, licet sit irreligiosa: eo quod tales commoditates temporales fundentur in jure spirituali invendibili, non est tamen injusta. Quidquid sit attento solo jure naturæ, attamen consideratâ & præsuppositâ dispositione juris positivi

positivi de resignante certum est, quod renuntians in favorem alterius pro pretio illud restituere obligetur etiam ante iudicis sententiam: cum per talem renuntiationem Simoniacam nec titulus beneficii nec jus ad redditus, sive commoditas percipiendi fructus beneficii in eumentem sive dantem pretium transferri possit.

Præterea ex Simonia solum mentali, si videlicet pretium sit oblatum intentione illud dandi pro spirituali, non est obligatio restituendi cap. mandato ult. de sim. & Ratio est: quia Simoniaci mentales non obligantur ad restitutionem ex jure positivo: quia Ecclesia de occultis & internis non judicat cap. sicut tuis 33. & cap. tua nos 34. de sim. nec ex jure naturali vel divino: quia offerens aliquid temporale animo Simoniaci, ut suppono, intentionem habet illud dandi, si tamen dans rem temporalem nunquam habuit animum donandi, tunc pretium semper maneret obnoxium restitutioni, si recipiens non velit dare spirituale pro isto temporali sed gratuito conferre velit spirituale, talis autem intentio non præsumitur in eo, qui in necessitate, ut acciperet mutuum, obtulit aliquid ultra sortem, & ideo accipiens aliquid ultra sortem cum intentione usuraria vel cum usura tenetur coram Deo restituere, quod cum intentione usuraria recepit juxta cap. consultuit 10. de usur. lib. 5. tit. 19. verum dubitatur cui temporale acceptum sit restituendum, ubi facienda distinctio: ante iudicis sententiam & de jure naturæ restituendum est temporale pro spirituali acceptum ei, qui dedit: quia fideles habent jus ut ipsis spiritualia gratuito ministrentur à ministris, ministri verò Ecclesiæ possunt tantum à fidelibus suam sustentationem exigere, post sententiam vero iudicis & de jure positivo pretium sponte sine vi & dolo datum est Ecclesiæ læsæ vel pauperibus restituendum cap. audivimus

41. de sim. *Ratio est*: quia quilibet puniendus est in eo in quo peccavit, Simoniacus autem peccavit in Ecclesiam, cum irroget Ecclesiæ injuriam, quæ vel cujus res interveniente pecuniâ datur vel accipitur cap. consulere; 8. de sim. & præterea generale est, quod quando pretium est datum ex turpi causâ tenente se ex parte utriusque tam dantis quam accipientis, id non sit restituendum danti, qui non est dignus, ut recipiat quod turpiter & sacrilegè expendit & in hoc est differentia inter usuram & pretium Simoniacum, quod hoc sit turpiter datum & acceptum, usura autem quidem sit turpiter accepta, non tamen turpiter data.

Denique excusatur ab hac restitutione Simoniacè recipiens pretium, si dans statim ab initio donet liberaliter in remunerationem gratitudinis, quamvis accipiens Simoniacâ intentione illud receperit tanquam datum ex obligatione justitiæ pro ipsâ re spirituali, & postmodum accipiens intellexit intentionem dantis, quo sensu præcedentia de Simoniâ mentali intelligenda sunt, dein è si ab initio quidem sit pretium Simoniacè datum & receptum, sed postea ejusdem restitutio liberaliter sit remissa, tunc accipiens retinere potest pretium donec à iudice condemnætur, ut Ecclesiæ restituat.

2da Pars explicatur & probatur: Res permanens spirituali annexa (res spiritualis transiens v. g. ordinatio, administratio Sacramentorum, consecratio Ecclesiæ pro pretio collata revera subsistit, & tantum restituendum est pretium Simoniacè acceptum) carius vendita propter annexum spirituale v. g. calix aureus propter consecrationem non est reddenda: quia contractus fuit validus, utile enim per inutile non debet vitari, attamen excessus pretii est restituendus, res vero spiritualis permanens principaliter vendita, ut sacræ reliquiæ, hostia consecrata &c. est reddenda, quia contractus ille Simoniacus est irritus, consequen-

ter nec pretii nec illius rei venditæ Dominium transfer-
 tur. Attamen quod ad beneficium mediante Simoniâ
 acceptum attinet: Primò ipsum beneficium ante om-
 nem sententiam iudicis est cedendum, si mediante
 Simoniâ ab ipso proviso vel ab aliis in favorem provisi
 commissâ illo non contradicente sit obtentum: quia
 tunc provisio beneficii fuit nulla. Secundò fructus
 percepti sunt restituendi sive adhuc extent sive sint con-
 sumpti, in casu quo Simonia commissâ est sciente aut
 approbante aut ratificante proviso, in casu autem, quo
 Simonia commissâ ignorante proviso, solum fructus ex-
 tantes, aut in quantum ex consumptis factus est ditior,
 sunt restituendi, & ut talis vel scienter vel ignoranter
 Simoniacè promotus ad beneficium, si postea resciat
 defectum, sit in conscientiâ tutus, debet vel cedere
 beneficio obtento, vel petere à S. Pontifice revalida-
 tionem beneficii, quo obtento fructibus beneficii
 gaudere potest à die obtentæ revalidationis tituli, super
 fructibus autem perceptis à curiâ Romanâ petere &
 obtinere potest compositionem. Tertiò si Simonia
 sit commissâ ab aliis proviso ignorante & ille hujusmo-
 di beneficium, antequam Simoniam commissam re-
 sciat, possideret per triennium, nec beneficium nec
 fructus primo triennio percepti, nisi in quantum ex
 iis factus est ditior, sunt restituendi, quia per regu-
 lam Cancellariæ beneficium per triennium pacificè bo-
 nâ fide possessum præscribitur.

3tia Pars probatur: Inductione pœnarum, quas
 Simoniaci reales incurrunt: quod addo: quia non
 incurruntur pœnæ juris propter Simoniam mentalem
 cap. tua nos 34. de sim. quia Ecclesia non iudicat nec
 punit interna, nec propter Simoniam conventionalem:
 quia Canones pœnam decernentes non utuntur verbis
 significantibus solas conventiones Simoniacas sed recep-
 tiones & dationes; quæ procedunt ex talibus conven-
 tionibus.

IX
 niendus est
 peccavit in E
 quæ vel cu
 accipitur cap
 le est, quod
 tenente se et
 tis, id non
 us, ut reci-
 & in hoc est
 iacum, quod
 ra autem qui-
 er data
 Simoniacè
 donet libe-
 amvis acci-
 inquam da-
 virtuali, &
 nem dantis,
 intelligenda
 Simoniacè
 titio libe-
 potest pre-
 et restituat,
 permanens
 g. ordina-
 seratio Bo-
 & tantum to-
 xum) carni-
 calix aureus
 a: quia co-
 le non debe-
 tuenda, res
 r vendit, ut
 est reddenda,
 consequen-

tionibus ut patet ex cap. non satis 8. Extravag. 1. & 2. de sim. leges verò pœnales sunt strictè interpretandæ hoc probabilius extenditur ad Simoniam conventionalem ex unâ parte completam: nisi sit Simonia confidentialis, de cujus pœnis infra, exceptâ quâ Simoniam confidentiali propter solam Simoniam realem in ingressu religionis, in susceptione ordinum & in collatione beneficiorum, commissam ipso facto, si verò in aliis videlicet in administratione Sacramentorum, in benedictionibus, dispensationibus &c. Simonia sit commissâ post sententiam iudicis incurruntur pœnæ: patet ex Can. reperiuntur 7. Can. quidquid 101. Causa I. Q. 1. cap. sicut 6. cap. de hoc 11. cap. veniens 19. de sim. quæ loquuntur de pœnis inferendis per iudicem.

Imprimis in Simoniacâ collatione vel susceptione ordinis incurritur sequens pœna: Primò ordinans Simoniacè per triennium suspenditur à collatione omnium ordinum cap. si quis 45. de sim. Secundò præsentans ordinandum Episcopo Simoniacè ab executione ordinum per triennium est suspensus cit. cap. 45. de sim. Tertio ordinatus scienter Simoniacè tam ab ordinibus ita susceptis quam suscipiendis perpetuò suspenditur cap. per tuas 37. cap. si quis 45. extravag. 1. & 2. de sim. de jure antiquo erant degradandi & eliminandi ab Ecclesia Can. si quis Episcopus 8. Causa I. Q. 1. cap. sicut 6. de sim. Quarto ordinatus ignoranter Simoniacè nullam quidem suspensionem incurrit cap. de Simoniacè 22. de sim. attamen si quis sit scienter ordinatus ab Episcopo, qui alias Simoniam commisit in ordinatione, incurrit suspensionem ad ordine sic suscepto Can. si qui 108. Causa I. Q. 1. Quintò præter suspensionem tam ordinans quam Simoniacè ordinatus incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam extravag. 2. de sim. inter comm.

Deindè quoad beneficia præterquam quod
ele-

electio, confirmatio, præsentatio, collatio, aut alia quævis provilio de beneficio interveniente simonia facta sit nulla, non quidem jure naturali & divino: cum adsint substantialia provisionis, sed ex jure politico, sive Simonia sit facta ab ipso proviso sive ab alio proviso sciente & non contradicente, exemplum est in cap. Matthæus 23. de sim. in quo amicus alicujus electi ei, qui alios ad discordiam incitabat, pecuniam sciente & consentiente electo solverat, cui rescribit Lucius III. *Multum tibi consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas*, imo etiam si Simonia sit commissa ipso proviso ignorante ut constat ex cap. ex insinuatione 26. cap. nobis 27. extrav. 2. de sim. in quâ extravagante omnes provisiones Simoniacæ viribus omnino carere declarantur, per quas nulli omnino jus acquiratur, excipiuntur duo Casus: imprimis si inscio electo vel proviso ab alio pecunia promissa vel data sit in fraudem eligendi vel promovendi, ut videlicet ita à dignitate vel beneficio excludatur: *Alioquin contingeret, quod alicujus factum insidias inimico parantis damnosum existeret, cui penitus displiceret: & sic aliquis de fraude suâ commodum reportaret* cap. sicut tuis 33. de sim. *Cum malitius hominum non sit indulgendum* cap. significante 5. qui matrimonium accusare possunt, lib. 4. tit. 18. ideo illorum fraus seu malitia, qui pecuniam promiserunt, ut talis electio cassaretur, ipsi electo obesse non potest. Hæc exceptio habetur in cap. nobis 27. de sim. ibi: *Nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè fecisse.* Deinde si electus vel provisos contradicat promissioni vel donationi Simoniacæ ab aliis factæ cap. 33. de sim. quia licet secundum Can. præsentium 3. Caus. I. Q. 5. cap. ex insinuatione 26. de sim. etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecunias sunt adepti,

eas

cas dimittere teneantur, attamen aliud est non præbere consensum & expressè aliquid prohibere, ideo nihil debet proviso imputari, nisi postea consenserit tacitè, solvendo pecuniam promissam aut reddendo solutam aut acceptando scienter beneficium quod novit per simoniam licet contra suam prohibitionem esse procuratum.

Præter hæc inquam pœnæ sequentes ob beneficiale simoniam incurruntur: 1^{mo}. pro collatione, electione, confirmatione, institutione vel præsentatione ad beneficium ecclesiasticum aliquid temporale dans vel recipiens incurrit excommunicationem Papæ reservatam extrav. 2. de sim. §. statuentes, in hac verò excommunicatione uti & suspensione ob simoniam in ordine, beneficio aut ingressu religionis commissam, si simonia sit publica & manifesta, absolvunt præter Papam habentes privilegium Apostolicum; si verò simonia sit occulta, quilibet Episcopus absolvere potest ex Trid. Sess. 24. de ref. cap. 6. ubi datur Episcopis generalis facultas absolvendi a casibus occultis sedi Apostolicæ reservatis ad forum contentiosum nondum deductis.

2^{dò}. inhabiles sunt ad beneficium obtentum simoniacè, ità ut eidem de novo conferri nequeat sine speciali dispensatione cap. si alicujus § 9. de elect. lib. 1. tit. 6. ex quo cap. si is, qui beneficium recepit, simoniam scivit, aut in illam tacitè vel expressè consensit, dispensat solus Papa, si verò simoniam ignoret, & beneficium sit dignitas vel curatum, etiam non potest Episcopus dispensare, ut illà vice beneficium obtineat per novam provisionem, nisi juxtà Gl. fin. in cap. nobis 27. de sim. per interpositam personam vitium fuerit purgatum, rationem dat: quia quæstio, occasione cujus respondetur in cap. nobis 27. cit. fuit, an possit Episcopus dispensare pro illà vice

la vice si verò beneficium sit simplex, potest Episcopus dispensare, ut provifus per novam collationem beneficium obtineat; neque tantum ad beneficium simoniacè obtentum sunt inhabiles, sed etiam aliis beneficiis ante obtentis sunt privandi, & ad beneficia impofterum obtinenda sunt declarandi incapaces cap. de hoc 11. cap. insinuatum 13. de sim. S. Pius V. in speciali constitutione quæ incipit: cum primum & est §ta tom. 2. bullarii in qua §. 8. ita: *qui dignitates ecclesiasticas simoniacè acquisiverit, illis sit ipso jure privatus & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque alias obtinendas, qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad ea, & quacunque alia beneficia ecclesiastica obtinenda.*

3tiò tales simoniaci sunt deponendi à ministerio altaris cap. ergà 110. caus. I. Q. 1. cap. 2. de confessis lib. 2. tit. 18. cap. de hoc 11. de sim. imò simoniaci publici & notorii sunt irregulares, quia simonia inducit infamiam juris.

Denique simonia comissa in ingressu religionis vel professione religiosâ punitur modis sequentibus: imò personæ particulares dantes vel accipientes aliquid temporale pro ingressu religionis vel admissione ad professionem incurrunt excommunicationem Papæ reservatam per extrav. 1. & 2. de sim. inter comm. addò. conventus vel capitulum simoniacè aliquem recipiens, incurrit suspensionem ab actibus capitularibus & ab administratione Papæ reservatam juxta extrav. 2. cit. 3tiò. taliter simoniaci recepti, sunt includendi in arctius monasterium cap. de regularibus 25. de sim. quamvis per extrav. sane 2. cit. indulgeatur, ut Episcopus eos ab excommunicatione absol-

abtolvere, & dispensare possit, ut in suo monasterio maneat.

5^{to} pœnæ simoniæ confidentialis completæ per acceptionem beneficii, quamvis ex alterâ parte nondum datum sit pretium ex constitutione Pii IV. quæ incipit Romanum & est 85^{ta} tom. 2. Bullarii & S. Pii V. quæ incipit: intolerabilis & est 85^{ta} ejusdem Pontificis tom. 2. Bullarii, sunt: 1^{mo} Episcopi & Prælati superiores incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, inferiores quicunque excommunicationem Papæ reservatam. 2^{do} resignatio vel collatio beneficii interveniente simoniâ confidentiali facta est invalida & renuntians est inhabilis ad idem beneficium obtinendum. 3^{to} Simoniaci confidentiales post sententiam Judicis declaratoriam privantur omnibus beneficiis & pensionibus Ecclesiasticis ante obtentis. 4^{to} beneficia per simoniacam confidentiam obtenta cum suis fructibus sunt Sedi Apostolicæ reservata; quoad hanc tamen reservationem attendenda sunt concordata, quæ solent singulæ Nationes habere cum Sede Apostolicâ.

DISPUTATIO XL.

De mendacio & simulatione.

HActenus cum Angelico Doctore Religionem ac Religioni opposita vitia exposuimus. Pergit deinceps alias potentiales justitiæ partes per aliquot quæstiones examinare, in quibus minor est difficultas; sunt autem hæ virtutes Justitiæ imperfectam rationem participantem, hinc Justitiæ dicuntur annexæ videlicet:

Pietas est virtus, quâ Parentibus & patriæ tanquam vitæ nostræ post Deum authoribus officium & cultum tribuimus. Et quia consanguinei nobiscum eisdem vel proximos vel remotos Parentes habent, & patrio-

tæ